



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

ATLAS
MARIANVS
SIVE
DE IMAGINIBVS
DEIPARAE
PER
ORBEM CHRISTIANVM
MIRACVLOSIS
AVCTORE
Guilhelmo Gumpenberg
e Societate IESV.
LIBER I.

est. S. Petri Augusto.



A. Küell. f.



DEDICATIO
DE IPARAE
VIRGINI
LAURETANÆ.

DOMINA. Quia mihi
non sine mysterio ambitus
Basilicæ tuæ Romanæ ad
Nives pro circulo est, Domus tua,
quam Laureti veneratione pro centro,
eam ob causam ideam Atlantis Ma-
riani sub illius presidio vulgavi, hos
verò libros non mutata Epistola De-
dicatoria sub istius protectione typis
subijcio. Tibi igitur debetur, quem
fabulosa antiquitas, nescio cui At-
lanti tribuit honor. Hic nempe sit
ille, qui cælum undique hians, quas-
satumque sustineat? qui humeros
habeat, quibus tanti nitantur forni-
ces? qui stellas errantes corrigat,
fixas

D E D I C A T I O .

fixas cessantēsq̄ ad cursum stimu-
 let? Ut officium, quod nobis debent,
 ritē præstent: laudatur sanè miser hic,
 ubi non est, ut cum Augustino loquar,
 & ardet, ubi est, nullo inanis gloriæ
 fructu. Tibi, inquam, hic honos debet-
 tur, quæ Domina mundi es, & Regina
 cæli. Tibi omnes stellarum populi
 famulantur; nam via lactea tibi, non
 Deastris illis strata est; quia Virgo es.
 Zona, quæ cælum stringit, & duode-
 cim velut tribuum regna circumscri-
 bit, duodecim mittit stellas in coro-
 nam, in debita subjectionis signum,
 ut signum sit, & nominetur. Sunt se-
 ptem cæli principes, quibus deberi
 creditur, quidquid è cælo præcipita-
 tur in terram, frugibus & animanti-
 bus, aut utile, aut noxium: quin & for-
 tem suam fortunæ servi ab illis ex-
 pectant, ideóque dominos vocant.
 Sed, ô Domina, sortes nostræ in mani-
 bus tuis descriptæ sunt: illi quidquid
 possunt

D E D I C A T I O.

possunt, per te possunt, quæ ab initio
 & ante sæcula creata es: Et quæ DEVS
 fecit, duo luminaria magna, tibi jam
 olim hi principes submittere, vt sub-
 essent, servirétque, quod præest nocti,
 in scabellum pedum tuorum; & quod
 diei præest, in amicum. Tuî nempe
 sunt cæli. Cum desideraret Atlas au-
 capium, credebatur habere corvos,
 vultures, & acutum videntes aquilas
 quin & Dracones, & Pegasus volan-
 tes. Si plaenisset piscatio; præstò erat
 fluvius Eridanus, aut etiam Nilus; ha-
 bet enim hic inter pisces austrinos &
 boreales etiam Delphinos, etiam Cete
 grandia; quin etiam serpentes &
 caneros. Imò & navis adest, quæ
 etiam per campos exspaciari liceat,
 quando auget Aquarius vndas, & ex-
 undat Nilus. Sed nec venatio At-
 lanti fabuloso deerat; dabant nam-
 que cæli nemora diversa & inusitata
 magnitudinis leones, tauros, capri-

D E D I C A T I O.

cornos, lupos, & nostris dissimiles caudatos. vrsos: his venabulum destinabatur, quod Arctophylax venator gestat, & canes maiores. Placidioribus animantibus hædis, arietibus, leporibus suffecerant canes minores. Centauris, Hydri, Draconibus, clypeatus Orion, gladius Perseus, demum ipse Hercules debebatur; quibus Sagittarius cum telo venire poterat in subsidium. Sed tui sunt cæli O MARIA. Tiaram defert tibi Cepheus, tres Gratia, nec Parcis nec Furijs cognatae, tres coronas: etenim coronas duas, Borealem vnâ, Australem alteram porrigunt Cassiopea, & Andromeda, tertiam, quam duodena cæli signa donant, Virgo. Ut omnia numero, pondere, & mensura fiant, adest libra. Ut torrente voluptatis potentur fessi; est in cælo crater, & patera. Fratrum gratia alijs rara, hic summa est; nam gemini sunt: Quin quo cum Elia in altum

D E D I C A T I O.

altum evehatur quis, adest currus
 Israel & auriga eius, sive agitator...
 Molem hanc, quam Atlas nunquam
 sustinuit, tu sustines, ô Virgo: tui
 nempe sunt cæli, & tua est terra, &
 tuum est gynecæum, in quo tibi Euro-
 pa, Asia, Africa, & nuper in chorum
 recepta America famulantur. Tibi
 fluunt fontes, & scaturiunt flumina,
 quæ es fons signatus, & puteus aqua-
 rum viventium. Tibi montes surgunt,
 & valles deprimuntur; quæ es lili-
 convallium, & desiderium collium
 æternorum. Tibi omnia virent, flo-
 rent, frondent, quæ es arbor Paradisi
 & gentis Domina arboreæ. Tibi de-
 nique, ô Regina, cæli & terræ Do-
 minæ flectitur omne genu, cælestium,
 terrestrium, & infernorum.

Fuit cum Hieronymi sæculis mun-
 dus se miraretur Arrianum: Faxim
 ego, ô Domina, ut te calamum diri-
 gente efficiam, ut mundus miretur...

DEDICATIO.

se MARIANVM. Numeravit olim
DEVS in thesauris suis septem millia
virorum, qui non curvaverunt genua
sua coram Baal; & Ninive stare
permissa est, quia centum millia ho-
minum peccare vetabat felix ignoran-
tia, nesciens, quid dextram interesset,
& sinistram. Stetisset quoque Sodoma,
& fortè staret adhuc, si vel decem
habuisset, quos suos DEVS dicere po-
tuisset. Quod plures terra non ab-
sorpsit cum domibus Vrbes, nec plu-
res cælum Regiones fulminârit, tuus
labor est. Tu sive fulmina, sive lan-
ceas, jam jam à filio devibrandas,
non semel suspendisti: quanquam
maneat adhuc extenta Domini ma-
nus. Tu inferni flammâs, vbi vbi
(quod Magno Gregorio credimus)
erumpentes, sæpius repressisti lacri-
marum imbribus; quin & Nive, nam
ut alia templa quandoque imperave-
ris; illam tamen, quæ in monte Es-
quili

DEDICATIO.

quilino est, Basilicam, etiam designasti;
 &, quod mirum est, non carbone, sed
 nive, & quidem mense Augusto, ut
 nempe Augustior fieret, & vocaretur,
 essetque cæteris MAIOR. Sed quis det,
 ut in hac & ager Picenus suam, &
 suam quæque gens statuam Vir-
 ginis Miraculosam videat, veneretur,
 prædicet! Ut mundus malus sit, &
 in Mali ligno positus, faxim tamen,
 ut lector intelligat, non jam septem
 millia hominum, sed septuagies
 septies plures fuisse myriades homi-
 num, qui te, ô Virgo, in statuis atque
 imaginibus tuis miraculosis impensè
 colerent; ita ut ab ortu solis usque ad
 occasum sit laudabile nomen tuum:
 his nempe fulcris nititur, ne fractus
 illabatur orbis. Itaque dignare me
 laudare te Virgo sacrata, mediocri-
 tatem meam adjuva, & calamum
 dirige, ut labor hic meus, gloriam
 tuam, cuius desiderio susceptus est,

D E D I C A T I O.

inter mortales promoveat, ut vel sic partem aliquam debiti exolvam, quod ob acceptas à te gratias in tribus Laurentanis templis contraxi. Primum Anno 1632. Laureti in Italia, deinde Anno 1643. Ratisbonæ in Bavaria, demum Anno 1647. Friburgi in Helvetia, quæ duo sacella Laurentana ad domus sanctæ proportionem & mensuras non sine magna sollicitudine fabricata esse scio.



LECTO.

LECTORI.

SI huius, & sequentium libro-
rum commendationem à me
petis; non aliunde magis grati-
ficari tibi possum, quàm ex eo (quod
ingenuè & sine fuce assero) nescire
me, an ullus privati Scriptoris liber
tanto consilio sit editus, quod ne ni-
mium mireris, sic accipe.

Quando mihi prima de miraculosis
imaginibus Deiparæ colligendis &
conscribendis originibus iniecta cæli-
tus cogitatio est, non ego, tantæ teme-
ritatis fui, ut vel somniarē, me auctore
vnquam proditurū tale opus. Sed nec
suscipere laborem permisit recordatio
tenuitatis meæ, & difficultatum incre-
dibilium copia atque acerbitas, licet
ea omnia difficultatis nomine nō com-
prehendam, quæ alij sub grauiissimo-
rum laborum titulo admirantur. Op-
taui tamen, ac omnibus modis deside-
raui hunc Virgini honorem, hanc Ec-
clesiæ vtilitatem. Quapropter pluriū

LECTORI

Provinciarum Societatis nostræ Patri-
bus Anno 1650. ad Electionē Generalis
Romam euntibus Tridenti hanc co-
gitationem aperui, rogauique, vt eam
futuro ARPŃ Generali proponerent,
efficerentque, vt quispiam è Patribus
ad hoc munus designaretur. Sed illi
Romana ex Vrbe reduces aliud mihi
responsum non tulere, quàm videri si-
bi, à me hoc opus suscipiendum. Dei-
param à me hunc postulare honorem;
neque obscurè voluntatem suam in-
dicasse, quod primo mihi post tot sæ-
cula hanc mentem iniecerit. Acue-
runt fateor hisce dictis grauissimi
Patres desiderium meum, per se satis
accensum, videndi operis, nondum ta-
men ad scriptionē pruriebat calamus,
conscijs occupationum præsentium,
& futurarum, quas dixi, difficultatum
ineuitabilis necessitatis. Postquam
verò aliarum Prouinciarū Patres alij
alijs superuenerunt, atq; operis utili-
tatem

L E C T O R I.

tatem approbatione sua extulerunt, insuper etiã sponponderunt, cum imaginibus descriptas origines, quamprimum in prouincias redijsset, missuros, cumq; etiam R. P. Rector meus Sebastianus Wecker, quocum hæc omnia contuli, eadẽ suaderet; firmavi Virginis ope animum contra difficultates, quæ deinde, quo præuidebam ordine, omnes sese fortissimè opposuerunt.

Itaq; Anno 1652 Festo Immaculatæ Cõceptionis die primas literas dedi ad omnes Societatis I E S V in Europa Prouinciales, quibus explicata operis cogitatione petij vnum è patribus, qui per totius Prouinciæ ambitum conquistas Imagines, & earum origines ad me mitteret. Non multæ abierunt hebdomades, cum ex vniuersæ Europæ prouincijs per literas intellexi sumam in Virginem pietatem: Etenim tanta rerum copia paucis mensibus ad me missa est, quantam, qui non vident,

A 6 mente

LECTORI.

mente concipere non possunt: Quia tamen & provinciarum spacia, & Dei paræ amplitudo vnius hominis quamlibet industriam superabant, in plures laborem hunc Marianum partiri libuit. Itaque omnibus omnium Europæ provinciarum (duabus exceptis) Rectoribus eadem quæ nuper Prouincialibus scripsi. Hic enim verò magnis incrementis Marianarum Imaginum pulcherrimæ historiæ sese mihi accumularunt, certantibus inter se prouincijs de gloria Virginis promovenda. Sine hoc cælesti gaudio fuisset, quo singulis hebdomadibus ex acceptis litteris delibutum me sensi, par difficultatibus non fuisset.

Accesserunt postea A R P N Generalis Goswini Nickel cum necessariâ tutela frequentes epistolæ, quibus me ad descriptionem animauit. R. P. Christophorus Schorrer Germaniæ Assistentis hortatus me est, ut quamprimum

ali-

L E C T O R I.

aliquid ederem acciendis Mariophi-
lorum Animis aptum. Itaque ideam
Atlantis Mariani summa celeritate
conscriptam misi Romam, Patrúmque
Reuisorum censuræ subjeci, quam vbi
laudatam & ab ARPN Generali ap-
probataam recepi, typis Anno 1655 sub-
jeci, & in omnes Prouincias quã plu-
rima exemplaria misi. Hoc libello be-
neuole lector consilium operis, & ide-
am explicavi, & à nemine non consi-
lium postulavi, & verò etiam ex om-
nibus Europæ prouincijs consilia libe-
raliter accepi. Hinc est quod me non
pæniteat publici reuerentem fuisse,
& non deproperasse ipsum opus. Sci-
re quoque te volo, nihil te in huius vel
sequentium librorum dispositione de-
prehensurum, quod non plurium di-
versarum prouinciarum, & quidem
prudentissimorum hominum vel con-
silio vel approbatione factum à me sit:
nam omnibus omnia fieri, & quidem

L E C T O R I

in omnibus non possum. Ne tamen habere te malevolum lectorem merear, præcipuarum rerum paucas rationes adduco.

I. Ordo Geographicus (saltem accuratus) omnium fermè consilio in hac parvâ editione omittendus est: hunc enim, si vt in Idea promisi, sequi velim, Italiam, Germaniam, Belgium, Boemiam, Poloniam, &c. scribere non potero, priusquam, quas tota Gallia habet Imagines miraculosas edam: neque hanc, priusquam de tota Hispania scribam: & verò etiam nec istam, nisi totam expedivero prius Lusitaniam: ita velut Zenonis motu opus semper progredietur, & semper primis vestigijs insistet. Sed & ordo antiquitatis, tum propter jam dictam causam, tum etiam ideò non probatur, quod ad gloriam Virginis non faciat, si, nemine rogante, memetipsum in tam obscura lite iudicem faciam,

LECTORI.

faciam, nunquam sine gravi Nationum offensa.

2. Stylum, dictionemque plurimorum consilio sic temperavi, ut malim à plurimis intelligi, quàm paucissimis placere. Itaque ampullas & sesquipedalia verba ne postula, quia fuso forma Virginis huius non augeatur, quæ pulchra est ut luna, electa ut sol. Finge me nescire, & facile ignoscam. Virgo picturæ, sculpturæ, plasticæ exquisita & superflua odit, ut abunde videbis, ergo & his similia. Filio semper sermocinatio cum simplicibus fuit, atque etiamnum est; quidni & Matri? novum DEO non est, stulta mundi eligere, ut confundat sapientes. Vis veritatis in verbis non consistit: figimur in rebus, ut viri; non, ut juvenes in verbis. Facile intelligimur, quando loquimur de ijs, quæ diligimus. Ita non vereor, ut me intelligas, etiam non Grammaticum, cum

L E C T O R I.

cùm de MARIA, quam tu diligis,
loquar.

3. Sed cur, cum magna promiserim volumina, nunc minimæ formæ typis subijcio libellos? ne autem & hoc ignores, sic accipe. Cùm ante omnia hoc in opere Virginis gloria unice à me quærat, & lectorum fructus, atque hinc inde ex Provincijs litteras accipiam, ambientium tam raras de Virgine historias, nolui ulterius tantis tantorum desiderijs moram iniicere. Quia verò nondum ita ab omni materia scriptionis instructus sum, ut totas Nationes Dei parè devotas suis separatis Tomis dare possim, præsertim cum imaginibus, quæ præter ipsam statuæ formam, etiam historiam exprimant: nondum enim totum Marianarum imaginum thesaurum misit Lusitania, nondum Hispania, Galliave, minor mihi necessario forma interim, dum altera
major

LECTORI

major sequatur, fuit eligenda, ne interea & honore suo careat Deipara, & fructu lector. Itaque dum tomis illi ordine Geographico sequantur, hos libellos prodromi in vicem accipe. Complector his omnes imaginum centurias, quotquot accepi, ac deinceps accepturus sum, & quidem imagines ipsas, prout eas accepi, quantum licuit ad amissim factas, una cum suis originibus à me descriptis. Ad hæc in tam lata materia dabo libris numerum Jubilæum, nec plures uno libro Historias comprehendam, quando quævis librum integrum postularet, ita quartus liber semper Centuriam suam complebit, & indices in Idea Atlantis Mariani promissos dabit. Non ignoro plurimis non placituram hanc minimæ formæ & tantæ materiæ disparem editionem. Quin imò fuit non nemo, qui tantum non cum imperio objiceret, plurimum hanc parvam

LECTORI

vam editionem obfuturam majori, quam promitto, ut quæ post hanc ramos sit inventura emptores. Et verò etiam, si posthabitâ Virginis gloriâ spectetur, aut cessans Bibliopolæ lucrum, aut damnum emergens, non abs re locuti sunt, sed faxim ego Deiparæ auxilio, ut plena illa & magna editio novo gustu non careat, ut quæ ultimam manum & secundos labores acceptura est. Cæterum nec illud ignorare lectorem volo, me dum hæc imprimuntur Ingolstadij, Augustæ morari ulteriori scriptioni intentum.

4. De fide si quæras, scito, me cauti-
tissimè scribere. Nihil hic leges cuius auctorem fide dignum non habeam. Sicubi Auctores habeo impressos, eos cito: quæ verò impressa non sunt, ex tabularijs templorum descripta accepi. Demum ubi sola antiquitatis fide res constat, tum verò & vetustatem

LECTORI.

tem traditionis & constantiam non perfunctoriè consideravi; quæ tamen, nisi etiam eorum fide nitatur, qui cum Præfulis potestate sacris præsunt, quantumvis fidem omnem similibus narrationibus non abrogent, scriptioni tamen meæ & operi huic non convenire judicavi. RR. PP. Provincialium & Rectorum Societatis nostræ fides suspecta mihi esse non meretur, quando mihi fidem habere Notario cuicumque imperant jura, etiam in rebus privatis; cum tamen illi tales sint, ut eorum virtuti & prudentiæ maxima Religionis negotia concredantur; atque alia ad me non prescribant, quàm quæ ab omni hominum memoria consensu communi certa sunt & indubitata, & tunc solum, quando ex impressis Auctoribus aut templorum tabularijs haberi narratio non potest. Hi inquam viri omni exceptione majores suspecti esse non merentur.

5. Nov

L E C T O R I

· 5 · Non hic recoctam crambem
expecta eorum omnium, quæ ab alijs
de imaginibus scripta sunt. Si scire
cupis originem & progressum ho-
norum, quos exhibemus Imagini-
bus, Cæsarem Card. Baronium euolue.
Si iuuat intelligere causas, ob quas
Ecclesia hos imaginibus honores de-
creuit, quidque oggannientibus hæ-
reticis reponere debeas, Robertum
Card. Bellarminum lege. Si placet
videre syllabum templorum, quæ vir-
gini per orbem vniuersum ædificata
sunt, Ferreolum Locrium habes, qui
non inutilem operam hac in re posuit.
Quod si omnium omnino imāginum,
quas vnquam Mariophili Deiparæ po-
suerunt, cognitionem desideras, Ange-
los accede, quibus solis has scire &
numerare datum est. Mihi, vt confi-
ciam, quantum Mundus MARIÆ de-
beat, & quantū ab ea expectare possit,
etæ solæ imagines præ manibus sunt,
quæ

LECTOR I.

quæ per miracula inclaruerunt : cæ-
teras omnes missas facio. Sed & de his
ipsis eam solam narrationem profe-
quor, quæ ad originem inchoatæ, vel
certè reductæ pietatis facit.

6. Quod autem imagines ipsas ple-
rumque expertem artis vetustatem o-
lentes, nec multum semper inter se
differentes, calcographi manu appo-
nam, nè quæso otiosum puta. Fructu
suo nec imagines carebunt nec histo-
riæ; etenim illas si inspexeris, VIREUS
MARIE oculos tuos perstringet, quæ
ad filij imitationem omnibus omnia
fieri solet, vt omnes lucrifaciat;
nam quemadmodum IESVS fastum
Alexandri Magni (qui non nisi ab
uno pingi voluit) detestatus, non
materiam, non artificem, non for-
mam figuramve ullam, in quam effi-
giaretur, recusavit; ita nec Matrem,
vel materiæ, vel artificis, vel vestitus
pudet ullius, ut cum Filio omnibus
omnia

L E C T O R I.

omnia fiat, & omnes lucrifaciat. Gallicè vestitur in Gallia, Hispanè in Hispania, Germanus suo, Italus quoque, Boëmus, Vngarus, &c. suo vestitu pingit, fingit, sculpsit. Græcis placet sua antiquitas, Ægyptius etiam fumo inficit, ut pulchriorem, id est, sibi similem faciat. Videbis ex tot centurijs, quas afferam, vix paucas esse, quibus artem aliquam à sculptura aut pictura inesse dicas. Plerumq; symmetria, proportiôque membrorum vel nulla, vel imperita: materia ferè semper vilis, aurea quod sciam nulla. Hæc stulta mundi elegit Deus, & hîc portenta patrat. Miraberis, & velatis Seraphinorum ritu oculis indagare desines altissimi consilium. Hac ratione multiplicabo sanè imagines B. Virginis sine necessitate, si concedam, quod Mariomastiges objicere solent: Hercle tamen non sine utilitate: non enim credam, & lestot

L E C T O R Y.

lector, nisi tibi, & eo tantum in casu, si tu de teipso loquaris, vnquam contigisse, vt à quopiam matris DEI imago quęcunq̃ue, etiam temerè & pertransennam aspiceretur sine fructu, etiamsi imagini Virginis, quod non credo, vmbra Petri præferas. Et, vt multæ inter se parum differentes sint, memineris tamen, vti in magnis omnia magna sunt, ita in B. Virgine nihil non maximum, & summa admiratione dignissimum esse. Lineam Metoposcopi metiuntur, capillum Physiognomi non prætereunt, Chiromantæ etiam minimi digiti paruum vnguem magnificiunt. Quid exiguum sit in imagine MARIE, quam DEVS tot portentis honorat, & nobilitat? Pingimus oues, & boues, insuper & pectora campi, volucres cæli, & pisces maris, & ipsos, qui perambulantesemitas maris, caneros. Proci, & lurcones ectypis formarum suarum, quas
velut

LECTORI.

velut impura materia appetant & de-
pereunt, ut pereant; domos, vrbes, &
cum Regionibus orbem pene vniver-
sum implent; & otiosum sit, Matris
Dni imagines lectori sculptas propo-
nere? Sentiet sanè, qui sic sentit.
Magnes lapis ijs pollet viribus, ut
quam annulo virtutem tractivam in-
generavit, illam propagare annulus
iste possit in filios & nepotes, id est,
in sequentes annulos; sic anulus aui-
lum, perpetuâ catenâ tenebit sine am-
plexu. Certum est virtutem è MARIA
exiisse, quæ in imaginem eius mira-
culosam immigravit, & fidelium
opinio est antiqua, recenti quoque
experientiâ comprobata, solo quan-
doque contactu propagari virtutem
illam, miraculosam in alias atque
alias, quæ simili contactu sacrantur:
quidni & Eclypa miraculosis proto-
typis B. Virginis similia habeant quid-
dam opinione vulgi grandius!

LECTOR I

7. Historiæ verò fructum si petas, hunc verò jucundum fore, vtilem, honestum, adeoque omni ex parte bonum, bona fide promitto. Atque imprimis de honestate ne dubita; flores Deiparæ fructus sunt, honoris & honestatis. Tum si fertur inesse jucunditas historijs vanis, fabulosis, inanibus, quid ijs inesse credas jucunditatis, quibus illa describitur, quæ est causa nostræ lætitiæ. Ut jucunda sit fabula, ut delectet historia, eventus inopinati, portenta admiranda, varietas perpetua faciunt. Dabo hæc supra expectationem tuam. Promissorum amplitudinem non destituerum multitudinem.

Utilitate quoque tua non fraudaberis, si quidem pars mundi es, quem Atlas hic Marianus sustinet, quemque MARIA utilissimis favoribus perpluit, unde virere, frondere, florere possis in gratiam. Seruies sanè MARIE, si hæc

B

lege-

L E C T O R I.

legeris, scio, sed non gratis, quia illa, cui servire regnare est, nullius unquam obsequium spreuit, aut indonatum præterijt. Calicem aquæ frigidæ, qui dederit, mercedem habeat? & qui MARIE filius, aut servus est, abeat indonatus?

Quibus verò negotium cum hæreticis est, ij vix quidquam molestius sentiunt pertinaciâ hæreticorum, qui nostro sæculo eò devenerunt, ut quæcunque miracula, quibuscunque testibus probata, negent, & pernegent. Antiqua si tuleris, sua dicent; remota explodent, ut ficta; vicina si narres, vel naturæ, vel ineptæ credulitati, & ut illi loquuntur, superstitioni adscribent. Ita seriò cogitanti & frequenter revolventi animo, quo tandem modo hoc genus pertinacissimæ pervicaciæ, & contumacissimæ impudentiæ (loquor de paucis, nam plerique putant, obsequium se præstare DEO, si

NOS

L E C T O R I.

nos persequantur) interimmi posset :
& sanè reperi eam invocando, quæ
cunctas hæreses sola interimit in vni-
verso mundo. Testibus enim agam
hoc in opere, omni exceptione mayo-
ribus, non jam duobus aut tribus, in-
quorum tamen ore aliàs stat omne
verbum ; sed populus unus erit mihi
pro teste uno, & si populi numerum
non faciant, dabo nationes : plebeios
si spernant, adducam Principes, Reges,
Imperatores, ijs, qui fidei suæ Impera-
torem habuère nullum. Si velint Ec-
clesiasticos ; dabo Religiosorum cuius-
cunque instituti, & ut illi ajunt, cuius-
cunque coloris, quot voluerint, cen-
turias & millia. Si petant Clerum,
producam tot animarum Pastores,
quot ipsi in fide sua non habuère
Oves. Si hos quoque spernant, non
deerunt mihi Episcopi, Archiepiscopi,
Cardinales, Papæ : addam verba
Christi. Ite, renunciate, quæ audistis,

B 2. & vi-

LECTORI.

& vidistis; cæci vident, claudī ambulānt, leprosi mundantur, &c. Quisquis contra hos omnes sapere voluerit; sapiat sanè, sed sibi.

Quo deniq; robore Deipara Virgo mundum sustentet, Atlas hic Marianus docebit, daturus imagines Virginis nulla ut plurimum vel arte, vel materia pretiosas, usque tamen & usque miraculosas, unde lector conficere possit, Atlantis vice Virginem nobis esse, quæ cælum in promeritam vindictam præcepit & sponte sua in nos ruens sustineat.

Nec jam superest, quod à te poscam, quàm ut Matrem nobis communem pro me preceris, ut posthac vivam ego jam non ego, vivat verò in me.

MARIA.



I. IMA



IMAGO B. V. LAVRET. I



I.

IMAGO B. V. MIRACV-

LOSA

LAVRETANA.

BArbara pyramidum fileat
miracula Memphis, & quot-
quot cum turri Babel in-
sanas moles orbis erexit, cum de Na-
zarethana Virginis domo sermo est.
Hæc jam olim ante mille & septin-
gentos annos divo Joachimo paren-
tum hæreditate cessit. Quot ante
annis ædificata sit, non habeo dicere.
Hic cæli terræque thesauros jam du-
dum reconditos ambiebant Christia-
ni, ab omnibus orbis partibus velut
tot Magnetes à polis duobus JESV &
MARIA tracti, ut eorum cor esset, ubi
thesaurus. (a) Gabriel unus de se-
ptem Spiritibus, qui astant coram
Domino, antiquus Ædium harum,

B ; five

sive tutor, sive curator, Mahometanorum fidei tantum depositum permittere ulterius non sustinuit, quia pietas peregrinorum morte plectebatur. Itaque de transferenda Æde (Ædem è domo jam olim fecere Apostoli) (*b*) cogitabat.

Nec consilium hoc latuit alios, quibus terrarum aliqua commissa portio. Hinc pugna, sed amica. Nulla è quatuor orbis partibus destituebatur argumentis, quibus sibi quæque depositum hoc credi vellet, crederetque deberi. Cessere tandem omnes ob fidei constantiam Europæ. Sed inter ipsos Europæ Angelos lis priore major. Gallus primogenitum regnum, Ecclesiæ obtendit. Hispanus, semper Catholicus, non jam speravit, sed sibi credidit deberi; nam nec ignoto Virgini, nec ineloquente patrono rem agebat, Jacobo Apostolo, & quidem Majore, qui jam olim uivæ adhuc

Virgini

Virgini statuam Cęsar Augusta posue-
 rat, hodięque & Virgini acceptam, &
 Iberię toti gloriosam. Imperium.
 Romanum opes objecit Germanię &
 Principum honores, ijs ab antiquo
 præter aliarum gentium morem con-
 cessos, qui cum Episcopi munere sa-
 cris præsent. Pietatem quoque non
 siluit, quã Virginem vniuersa Ger-
 mania prosequitur. Italia, quia sum-
 mi Capitis Sedes est, obtinuit. Itaque
 Angelorum manibus à fundamentis
 avulsa (ita Angelis suis, O sacra Do-
 mus! mandavit de te DEVS, ut custo-
 dianit te in omnibus vijs tuis, ut non
 offendatur vel vnus lapis) nocte,
 non amplius una per duo fermè mil-
 liariorum millia per mare, per terras,
 per inhospitas regiones sistitur in Croa-
 tia, Dalmatię provincia, anno 1291
 septima die Maij Tersactum inter &
 Flumen ad Mare Adriaticum (d)
 Ecce nauem! quę & Argonautarum

felicitatem, & quorumcunque institorum gazas superat: nam & vellus vehit Gedeonis, aureo illo opulentius; & institoris est de longè portantis panem Angelorum, & cibum Viatorum. Perijt (Act. 27.) navis, ut servarentur homines. Perire voluit (Jonæ 3.) homo, ut servaretur navis: hæc navis servatur, ut homines non pereant, longè illa rate Noëtica felicior, quæ non tam hominibus, quàm pecudibus servandis fabricata videri potuit. Nec malo caret, nec velis: nam pro malo crucem habet, è vitæ, non scientiæ ligno, &, quod tegit omnia, pallium MATRISFAMILIAS, pro mille velis est. Remis non indiget, quia volat: plus dico, nec vento pulsa est, quo aliæ naves solent; nam factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum Spiritus ille, qui more suo fertur super aquas, semper

per publico ut bene fit. Sed nec anchoram habuit aliam, quàm ipsam domus Dominam, quæ omnis spei, salutisque anchora est. Prima, ni fallor, navis, quæ, ex lapide cùm sit, nec jactetur, nec mergatur; & ut navim esse sciremus, à littore Nazarethano solvens appulsa est ad littus Tersactense, nunquam mari inimica, nunquam à mari nimis remota. Hęc classis Ecclesiæ est, cui uti duo gladij sufficiunt pro acie, ita & duæ naves pro classe, Petri de Betsaida, & MARIÆ de Nazaretho. Hęc matrem, illa filium vehit; vtraque in altum ducitur, vtraque piscatores hominum habet; hæc Angelos, illa Angelis similes Apostolos; utraque retis jactum facit ad dexteram, & piscium capturam, quæ omnium admirationem provocare possit, hoc solo discrimine, quòd illa pisces, magnos quidem, sed quinquaginta tantum tres, hæc Cete

grandia, & innumerabilia retribus suis concludat; illa vivos capiat, ut occidat; hæc mortuos, ut ijs vitam, quam perdidere, reddat.

Non poterat hæc domus unquam stationem mari non vicinam eligere, quia navis est; quatuor omnino elegit, omnes ad mare, & quidem Adriaticum, posthabito mari mediterraneo, & ipso etiam oceano. Erat tunc Tersacti comes Nicolaus Frangipani. is missis Nazarethum speculatoribus tam domus, quam veritatis fundamenta scrutaturis, meritus est haberi primus in Europa S. Domini Mæcenas, & commodè tunc honoribus auctus est: nam à Rudolpho Habsburgico duodecimo Imperatorum progenitore, & tunc jam cum Imperatoria potestate rerum Domino, Dalmatiæ Prætor est datus. Dederat Rudolphus nuper Virginis Filio equum, pro quo Virgo Domum, Virginis Filius (ut speramus) Imperium

rium sine fine dedit, jussitq; Austriam posthac esse pro nido; & jam tribus sæculis cum dimidio fuit, cuiusvis anni moram sæculo Imperij remuneratus: nam sexto mense post exactum Tersacti triennium, jam circumjacentibus terris propter importatam loci sanctitatem celeberrima, anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, decima die Decemb. infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. V. migravit (à nullo, quòd sciam, malo hospite expulsa) è Dalmatia in Italiæ silvam (Recanatenensis ditionis) asperam sanè & inhospitam, quantumvis Domina loci nomen haberet à Laureto. Vidisses hîc lilium inter spinas, & cedrû Libani loquẽtem cum Rhamno Italiæ; imò paradisum, in quo nõ jam angelus malus cum Virgine non meliore, sed bonus cum optima, non de orbis interitu, sed restitutione sermones misceret. Vtrobique Adam & Eva

PRIMI hominum, utrobique DEVS & Angelus, utrobique Spiritus Domini ferebatur, sed prô! ritu omnia, quàm diverso. Juvat credere Fauni (de quo Hieronymus) nepotes in hac silva intellexisse, DEVM etiam pro semihominibus factum hominem. Stetisset loco eodem, puto, diutius, & staret adhuc; nisi Gabriel reprehendisset, stationem se Nazarethanâ pejorem elegerisse: ibi namque trucidabantur Christiani à Turcis; hic Christianus sanguis tetigit sanguinem Christianum, & latrocinia facta sunt Mahometanis funestiora. Indignatus itaq; Angelus, peregrinos reperire mortē, ubi vitam quærebant, damnato consilio priorē, è silva in collem apertum transitionem fecit. Sed ut in silva non erat hospes ab hospite tutus; ita hoc in colle fratrum quoque gratia (rara aliàs) nunc omnino nulla fuit. Jámque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum

rum penè tempora Caini reduxerant; quærebant enim inter se fratres loci Domini antiquum illud, IN TEMPLO QUID FACIT AVRVM ? cùm Gabriel fastidito etiã colle, cui vel Olympus invidere poterat, iterum depositum abstulit, & in publica via deposuit; ut omnibus sufficeret thesaurus, qui duobus non poterat. Hic hodiè que stat; miraculis quàm lapidibus nobilior; ita Deus nec dum hospitium suum deseruit. Nec negligendum est, quod, mi fallor, ego primus observavi; æquale fermè esse viarum intervallum inter sacram hanc domum Matris, & præsepe Filij (quod in Basilica S. M. Majoris Romana in vrbe servatur) illi, quod est Nazarethum inter & Bethlehem.

(a) *De Mysterijs, qua hac in domo contigère, Jul. II. in Bulla sua sic loquitur. Vbi ipsa B. Maria concepta, ubi educata, ubi ab Angelo salutata.*

Salvatorem sæculorum verbo concepit, ubi ipsum suum primogenitum, suis castissimis vberibus lacte de cælo plenis lactavit & educavit, ubi, quando de hoc sæculo nequam ad sublimia assumpta extitit, orando quiescebat, quàmque Apostoli sancti primam Ecclesiam in honorem DEI, & eiusdem B. MARIE consecrarunt. Vbi prima Missa celebrata est. *Hæc Iul. II. in Bulla. In cuius fine iterum hæc verba habentur.* Humilis & sanctissima cellula, ubi ipsa cælorum Regina concepta, nata, educata, Mater DEI per Angelum Gabrielem salutata, &c. *S. Helena anno trecentesimo octogesimo Domum sanctam inclusit templo magnifico, & regijs sumptibus adificato, ut ait Nicoph. lib. 9. cap. 8. Accessit domum sanctam sancta Paula, teste Hieronymo. Circa annum 1100 Tancredus Princeps Normandorum, cum adhuc Galitæe præffet, regijs donis auxit, ut*

ait Guil. Tyrius lib. 5. Iacobus de Vi-
 triaco Cardinalis & Patriarcha Ierosol.
 in descriptione terra sancta memorat,
 se aliquoties festo Annuntiationis die
 in sancta domo Missam celebrasse. An-
 no 1245. sanctus Ludovicus Rex Gallia,
 ubi in conspectum urbis Nazarethanae
 & templi venit, pedes urbem venera-
 tionis gratiâ ingressus est: ipso Annun-
 tiatae Virginis die solenni, tolerato pri-
 die pane & aqua jejunio, cilicio indutus,
 in Aede sancta, Officio ritu solenni
 cantato interfuit, ibidémque sacra sy-
 naxi refectus est, ut tradit Clitovius,
 apud Silvium Serraglinum.

(b) Cum domo S. venêre statua B.
 V., lignea effigies Christi cruci affixi,
 in tabula lignea picta, operâ sancti Luce,
 & vasa testacea, quibus usa B. V. creditur.
 tectum asseribus ligneis, & ceruleo co-
 lore imbutis constabat, stellis inauratis
 distinctum: portam unam habuit, cuius
 etiamnum vestigia videntur, quam ob-
 struxit

struxit Iulius II. lapidibus, quibus exemptis aperuit nov. 16. Altare, quod nunc in medio stat, olim è regione porte intransibus obijciebatur cum tabula Crucifixi. Vide Turfellinum in histor. Lauretan.

(d.) R. P. Franciscus Quaresimus, Ord. S. Francisci lib. 7. cap. 3 elucid. terra sancta fuse memorat, quam ob causam sub annum 1268 & quomodo Nazarethum devenerit in Mahometanorum potestatem, destructo templo, quod domui sancte regenda & ornanda, si non ipsa sancta Helena, certè Christiani antiquiores extruxerant, quòdque in illud usque tempus templum Annuntiationis vocatum est. Neque tacet causam, ob quam inter templi rudera integra perstiterit sancta domus. Unde hallucinari ij videntur, qui putant, templum corruisse post abitum domus sancte, cum tamen ea post dirutum templum viginti tribus annis perman-

permanferit Nazarethi, nempe in annum usquo 1291, quo anno, ut supra dixi, nona die Maij in nostras partes migravit. Atque rudera ista legati Prætoris Dalmatiae testati sunt, ut ait Petrus sancta fol. 21. Quod post abitum domus sanctæ, relictis fundamentis sit superstructum sacellum aliud, labor Christianorum fuit, non ferentium interire tantæ rei memoriam, quod verò Capellæ Annuntiationis, quæ nunc visitur Nazarethi, differat ab ea, quæ est Laureti, architectorum culpa est, quoniam (ut inquit R. P. Quaresmius) non adæquatè supra vetera fundamenta fuit superedificata. Porro ipsa vera fundamenta domus sanctæ nostro tempore à R. P. F. Thoma à Novaria summâ diligentia quæsitæ & inventa esse, fusè memorat cap. 4. Qui anno 1620. 19. Decemb., cum Regimen locorum sanctorum teneret, sanctam Capellam iterum à Principe Sidonis obtinuit.

Quinto

Quinto anno post discessum Nazarethanum, id est, primo post adventum in Italiam, Vrbes nonnulla agri Piceni suis sumptibus sedecim viros virtute & prudentiâ conspicuos miserunt in Istriam primùm, deinde in Soriâ, exploraturos tanti miraculi veritatem. Utrobique repererunt ichnographia, quam secum tulerant, respondere fundamenta, imò tam Tersacti, quàm Nazarethi repererunt lapidem, velut domûs sanctæ epitaphium, qui abitus sanctæ domûs inopinatum posteris prædebat. Neque Majorum à nobis negligentia hic accusanda est: etenim ritum, quem iura poscunt, hæc omnia tabulis sunt commendata, ac in tabulario urbis Recanatenfis quàm diligentissimè asservata usque ad annum millesimum trecentessimum trigesimum secundum, qui fuit vigesimus octavus post adventum sanctæ domûs in Italiam. Quis enim ultra hunc annum poscat à Recanatenfi-

tenſibus ſuperſtites chartas, quando nec urbi ſtare licuit, vix poſt multos annos ab excidio, quod hoc anno paſſa eſt, reſtituta: quin & ij quoque, quos prior ſeculo Clemens V I I. veritatem antiquam novis induſtrijs inveſtigaturos miſit, reduces demum omnia ad amuſſum à ſe reperta, juramento confirmârunt.

Præterire non poſſum Illuſtriſſima urbis Recanatensis in B. V. M. velut civem ſuam proſus ſingularem pietatem. Primi etenim fuère Recanatenſes, qui de ſancta domo ſoliciti, eam muro contra ruinam, quam minari videbatur, cinxerunt, qui templo inſigni ſuperſtructo ab injurijs cali defenderunt, qui bonam terra ſua partem, & aquas dederunt, qui particularibus decretis ſtatu-erunt, ut & juventus à Ludimagiſtris ante omnia inſtruaturs ijs, que ad B. Virginis cultum ſpectant, & morituri, vel aliàs ultimam ſuam voluntatem reſta-

testaturi, sub pœna execrationis paternae commendent heredi constantiam in fide, & reverentiam erga Sedem Apostolicam, qui denique celeberrimam sedecim virorum legationem Nazarethæ transmiserunt.

Primis annis post S. domus adventum tanta fuit Recanatensium pietas, ut ferè nullus incolarum esset, qui non quotidie domum sanctam accederet, tribus passuum milibus distantem. Indulgentijs pietatem remuneratus est Benedictus XII.

Aurea gemmisque distincta corona, qua statuam hodie ornat, donum Recanatensium incolarum est, in servata urbis memoriam: hæc de singulari Iulij I. I. aliorumque Pontificum privilegio nunquam à statua capite removetur.

Omnia superat splendidissima urbis supplicatio, quæ festo Virginis Annunciate die ad domum S. instituitur. Ornat

pompam Episcopus cum Clero, Magistratus cum Nobilitate: argent numerum, prater viginti duos, eosque numerosos diversi instituti Sodalium cœtus, cum reliqua incolarum multitudine; ita, ut vix alius prater infantes, senes, & agros in urbe relinquatur. Offerunt magno numero candelas, & sumptuosi operis ex argento sua simulacrum civitatis.

Decimum Mensis Decembris diem festum agunt: pars cultûs est supplicatio, quâ Deipara ducentas ex urbe virgines producunt: ita cordi habent suarum innocentiam. Sub vesperum aliam supplicationem in urbe præclaram sequuntur ignes festivi, & alia, quibus sibi adventum domûs S. gratulantur.

Visitur quoque in palatij propylæo sumptuosa moles arca, marmore Illyrico cincta, refertque domûs sancta in eas oras adventum. Hic Sabbatinis diebus,

diebus, cantatis Litanijs Lauretanis, sub noctem laudatur Virgo. Incrementum pietas accepit ab Urbano VIII. qui presentibus largitus est Indulgentias, uti ad me scripsit adm. Rever. Dominus Petrus Bongiovanni.

Illud demum ego addo, Recanatensem urbem ad quaevis consilia accipienda esse promptissimam. Annus est, & paulò plus, cùm litteras ego ad Magistratum dedi; quibus ostendi, fore utile urbi, si sanctam domum sibi aeterno quodam nexu coniungeret: nimirum, si suam inter urbem ac Lauretum viam omnem iustis intervallis (qua Christianus Adrichomius docet) distinguerent, statuisq; è lapide positis, revocarent peregrinis in mentem totum illud, quod montem Oliveti inter & Calvarium est spatium, quaèq; MARIAE Filius in ea ambulatione perpeffus est. Ad didi, quanta inde peregrinis, quanta urbi essent expectanda è celo lucra.

Mi

Mirum, quàm prono animo consilium meum sint amplexi. Etenim, in frequenti senatu re proposità, sine mora decretus est Virgini hic honor, delectiq₃ sunt, qui ab Illustrissimo, & Reverendissimo Episcopo Magistratùs nomine faciendi operis peterent licentiã, quam mox obtinuerunt. Designati etiam à Senatu, qui fabrica praessent, D. Hieronymus Angelita, & D. Thomas de Alex. Massucci. Et fortasse jam peregrinis viam monstrarent sacratissima Passionis ad vivum expressa Mystera, nisi pestifera luis metus, ut alia, ita hac quoq₃ monumenta ha-
Etenuis impedivisset.



II.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA.
S. MARIA MAIOR.

R O M Æ.

Ioannes Patritius Romanus senatorij ordinis, sola coniugis sterilitate infelix, diu nesciuit, quàm propè abesset ab ingenti apud posteros gloria. Multùm commendabat hominem Romanis deductum longa serie in sua vsque tempora maiorum stemma, Romanæ vrbi nunquam non gloriosum. Partem justis lucris diuitiæ, cæsus equestris, senatorius honor, & salutatorum nullo non die palatij fores obsidentium numerosa turba, non parùm cumularunt auitæ domûs decus: infelicem tamen se cum coniuge credidit Ioannes, quòd hæres deesset, quem tanta felicitas maneret. Dudum à superis efflictim postulatus nunquam

com-



comparuit: surdi nempe sunt superi, si minora petamus beneficia, quam ipsi nobis designarunt. Iam ingruens senectus, iuncta annosæ sterilitati prohibebat etiam sperare, quod desiderabant, ne dum petere. Quapropter pij conjuges solo à se invicem thoro (a) disiuncti, id unum à Deipara junctis precibus identidem flagitarunt; ut, quando ipsi sine hærede essent, ipsa designare dignaretur, quem demum tantarum opum hæredem scriberent. Placuit Virgini tam officiosa adoptatio, digna, quam præ alijs ipsa sibi ascisceret, ex qua Romana in vrbe domum sibi exstrueret: etsi enim non paucas Virgo Ecclesias (b) in vrbe tum haberet, ut credimus, angustas tamen fuisse, credibile est, quia Virgo MAIOREM postulabat, & Romanæ pietatis capacem. Nec dedignata est fabricæ totius ambitum ipsa (c) in cælo designare: quod ut rite perficeret

ret, non carbone usa, non cretâ, ne quid aut ex orco cælestes manus macularret, aut è terra; sed nivibus usa est, quæ vel ad caniculæ æstum non liquecerent. Hæ postquam à Virgine figuram accepere, quæ templi fundamenta referret, & ambitum; jussæ sunt fervatis? accuratè legibus in lanæ morem decidere in terram; & figuram, quam in cælo acceperant, tantisper retinere, dum unâ cum Pontifice totâ in rem præsentem Roma veniret, & fundamenta futuri templi ad architecturæ cælestis leges designaret.

Jacuerè itaque nives, quo dixi, ordine quinto Augusti. Et ne urbs tanti miraculi causam ignoraret, ipsa & Liberium Pontificem, & Joannem Patritium per somnum monuit, quid eo in loco fieri vellet, ubi nives ipsa alieno anni tempore collocasset. Quapropter Joannes, deprehensis manè in Esquilino colle nivibus, Pontificem prope-

properè accedit, desideria sua, & Vir-
 ginis non obscurum cōsensum refert.
 Eadem sibi quoq; in somnis visa, cūm
 Joanni retrulisset Pontifex, de nivibus
 iterum iterūmque scitatus est: quas
 ubi in Esquilino colle inventas intel-
 lexisset; campano ære urbem totam
 in ordines coëgit, & institutā rite sup-
 plicatione, nives ipse inspecturus lo-
 cum accessit. Quis memoret S.P.Q.R.
 sensum? quorum corda præ nivibus
 in lachrymas soluta Deiparam suspi-
 rabant, & jam posterorum in Virginē
 affectum prælibabāt in suo. Quid plu-
 ra? Liborius arrepto sarculo terram
 eruit, quæ primo lapidi locum daret:
 Joannes Patritius opes dedit in fabri-
 cam cæteris MAIOREM suffecturas.
 Ita brevi Basilica stetit, in qua Deipa-
 ram Romani MAIORE, quàm ante cul-
 tu, venerarētur. At verò, ubi coronidē
 operi imposuere architecti, Liborius,
 plaudente Roma, dedicationem fecit.

Nec quidquam defuit præter Virgini-
 nis iconem, quam ex altari Roma ve-
 neraretur. Fuit una inter primas vrbi
 chara, quam olim cum Servatoris præ-
 sepio attulisse Helena creditur; ;
 quàmque in hæc usque tempora Pon-
 tifices in sacrario suo custodiebant.
 Hæc Liberius sacrario suo exemptam
 novæ Basilicæ intulit, atque aræ im-
 posuit; quam deinde Pontifices, non
 nisi arctissimis in rebus, & rarò, nec nisi
 ad breve tempus extulerunt. (d)

Memorable est, quod anno sexcen-
 tesimo quadragesimo tertio in hac
 Virginis Basilica contigit. Quando
 impius Constantius Orientis Impera-
 tor, cum Pontificem sublatum è medio
 vellet, tanti parricidij facinus sicario-
 rum uni in paucis apto commisit. Is
 Pontificem aggredi, & funus facere
 statuit hoc ipso in tēplo, dum sacram
 hostiam ex eius manibus acciperet.
 Vetuit Virgo in domo sua malè esse
 Filij

Filij sui Vicario ; sed & ipsi parricidæ : etenim alia pœna Virgo hominem nō multavit, quàm quòd quæsitum diu Pontificem invenire nō potuerit, quin ab ipso etiam Pontifice, ubi se sponte reum egit, gratiã pro vindicta retulit.

Hæc ipsissima est imago, quam Magnus Gregorius publica supplicatione pestiferam luem averfurus, festis Paschalibus ad S. Petri templum deportavit, quàmq; è mole Adriani, cum pontem transfiret pompa, SS. Angelicanti, quem nemo non audiret, venerati sunt, solenne illud concinentes : *Regina celi latere, alleluia: Quia, quem meruisti portare, alleluia, Resurrexit, sicut dixit, alleluia: Námque, quod sequitur, Ora pro nobis DEVM, alleluia;* indubitata fides habet, adjunxisse Gregorium. Quin ipso in cacumine Adrianiæ molis visus à Pontifice est, qui reposito in vaginam gladio pestiferæ lui finem faceret Angelus. Structum

in loco est Angelorum Principi Sacellum, quod pluribus seculis stetit, vocatumque est templum S. Michaëlis in Nubibus; dum Alexander VI. molem bellicis usibus adaptavit, stat tamen hodièque in rei memoriam incacumine ingentis mali ex inaurato metallo Angelus, noménque & castello dat, & ponti Tiberino. B. Franciscus Borgia, Gandiæ Dux olim, postea tertius Societatis Jesu Generalis, primus omnium fuit, qui à supremo Ecclesiæ Capite impetravit huius Imaginis ectypon: quod deinde per omnem orbem ab ipso inter Christianos vulgatum est.

Nec pauca sunt, per quas Virgo miracula patrat: illam certè, quæ sub titulo Matris ter admirabilis in Conventu S. Ignatij M. Ingolstadij in Bavaria colitur, sæpius locutam, certa fama dubitare non sinit. Hoc insuper multis persuasum est, de vitæ statu eligendo delibe-

deliberantes, vix uspiam certiùs de Numinis voluntate fieri certiores. Reliqua, quæ huius rei exempla habentur, quia fide digna sunt, credo; unum scio.

(a) *Ita Felix Astolffi in hist. imag.*

(b) *Non est hic audiendus Petrus de Natalibus, quando ait, nullum adhuc in urbe fuisse templum Deipara dedicatum, præsertim cùm Volaterranus lib. 2. cap. 19. mentionem faciat templi cuiusdam dedicati à S. Petro Deipara extra urbem, nec multùm ab eo loco, quem hodie tres fontes S. Pauli nobilem faciunt diffiti: quis enim credat, tam diu Romam sine templo Virginis fuisse, in qua jam ante plura sæcula uno eodémq; tempore plura vel templa vel sacella Virgo numeravit, quàm annus dies habeat?*

(c) *Petrus de Natalibus lib. 7. c. 21. ait, nives eâ figurâ jacuisse, ut sciri posset, quâ amplitudine fieri Deipara fabricam vellet.* (d) *Prioribus sæculis, die*

assumpta Virginis, Servatoris imago è Pontificum sacrario (ubi hodiè que servatur) exempta, supplicatione publicâ per varias urbis vias in hanc Basilicam illata est, obviam procedente non minùs frequenti supplicatione cum hac Virginis icono. Populus nocte tota supplicandus coram his duabus imaginibus vigilias egit, festo que die summâ pompâ celebrato, illa ad suum sacrarium, hæc ad suum altare reportata est; duravit q₃ hæc Romæ pietas assumpta Virgini honoranda usque ad tempora Pij V.

Petrus Abbas Cluniacensis, qui vixit circa annum 1200., scribit, candelas pridie assumpta Virginis accensas à primis vespers usque ad horam nonam festi hoc in templo non defecisse; & ne opinioni daretur locus, fuisse, qui eodem pondere, eadèmq^e magnitudine pares candelas accenderent, domi sue unam, alteram hæc in Basilica; atque istam, non perinde ut illam, defecisse, experimento

cogni-

cognitum, ut refert Octav. Pancirola in S. M. Maggiore. His tēporibus neutra suo loco movetur, nisi Jubilei anno, quando illa Servatoris in templo S. Joannis Lateranensis, hac in suo, utraque medio in templo venerationi populorum decorè exponitur.

Nec praterendum est, quod idem Pancirola tradit, Magno Gregorio in hac Basilica evenisse: etenim, ut ille refert, cūm Gregorius festo Resurrectionis Christi die Sacrificium hūc festivo cantu celebraret, atque illud, Pax Domini sit, semper vobiscum, caneret, choro vocem è celo auditam, qua responderet Ecclesia ritui, Et cum spiritu tuo. Hinc ad plura secula ritum à Pontificibus decretum pervenisse, ut hac in Basilica hoc festo, Pontificibus celebrantibus, dicta verba non redderentur à choro, ne tanti miraculi memoria periret.

Ceterum sunt quoq; non pauca huius Basilica, & notatu digna privilegia.

Nam 1. tres hodieq; habemus homilias, quas D. Gregorius M. ad populum Romanum dixit, nimirum octavam, festo Nativitatis Christi die; vigesimam primam, in Resurrectionem; vigesimam secundam, Dominicâ, quam vocant in Albis. 2. Habet Archipresbyterum Cardinalem. 3. Est ex ijs, qua anno Iubileo visitantur. 4. Est una ex septem Ecclesijs. 5. Est una ex quinque Patriarchalibus. 6. Est una ex tribus Pœnitentiarijs. 7. Undecies in anno Stationem celebrat. 8. In Altari Pontificio nemo celebrat, Pontifice in Gallia commorante, Cardinalibus per expressum Breve, quoties oportebat, celebrâdi potestas est facta.

Demum ipsa templi fabrica non eandem tot seculis vel formam, vel figuram habuit. Etenim Sixtus III. anno 432. ruine proximam quasi à fundamentis refecit, atque in ampliorem formam redegit, ut ait Anastas. in Sixto III. contra Nestorium, & eius haresin. Hinc postea

ista Basilica Sixti aliquamdiu dicta est. Anno 772. Adrianus I. renovavit templum. Anno 817. S. Paschalis chorum marmore stravit. Anno 1150. Eugen III. propylæi tessellatum opus addidit, quod hodiè que videtur. Anno 1274. Gregor. III. propylæum jam jam ruina proximè refecit. Anno 1288. Nicolaus IV., quem in vicino Patriarchali palatio habitasse tradunt, iterum undique fatiscentem fabricam restauravit, sibi que sepulchrum posuit, tam modestum, ut hodie inter tot miranda non compareret; nisi Sixtus quintus viri ossa decētius collocasset. Anno 1450. Cardinalis Guilielmus Rotomagensis templo duas naves adjunxit, altari Pontificio quatuor è porphiretico lapide columnas addidit, & templi tholum. Anno 1500. Alexander VI. laqueare tēpli è ligno fecit, & inauravit. Plurimas insuper à Sixto III. factas restauravit. Anno 1593. Sixtus V. S. Servatoris Præsepe regij operis sacello texit. Anno 1585.

*Paulus V. templum ingentibus reeditibus
auxit, sacrum vestiarium è fundamen-
tis struxit, foris columnam Deipara
erexit, intus sacellum Sixtino amulum
custodiēda Virginis Imagini adifi-
cavit. Octav. Pancirola
in sua Roma.*



ribus

men-

para

lum

g-

A-




 HISPANIA.

III.

 JMAGO B.V. MIRACVLOSA
 DE VILLA VITIOSA
 CORDVBÆ.

VILLA VITIOSA, quę Ducum Brigant-
 inorum (hodie regū Lusitanię)
 sedes est, thesaurū habuit in agro re-
 conditum, quem qui primus invenit,
 fulgore nimio prostratus, & fragrantia
 plus quā Sabę tantū nō exanima-
 tus, à socijs fossoribus domum relatus
 est, monito Episcopo, sacrum quiddam
 sanctūmq; sub terra latere, quod pro-
 fanę manus tāgere porro nō auderēt.
 Accurrunt itaque summi infimique:
 nemo nō insolito fulgore percussus, &
 odore cęlesti delibutus est. Itaq; inter
 preces, majore quā ante veneratione
 urgetur fossio: nec multis opus fuit:
 etenim ubi ablato strictim cespide,
 nonnihil glebę fulgentis erutum est;

ecce tibi capsam plumbeam pervetusto ceromate incrustatam! quæ ubi non sine sollicita pietate reclusa est, raræ speciei statuam Deiparæ dedit; ligneam tamen, & quæ undecim omnino digitos non excedebat. Hodie magnam partem carie confecta est, sed undiq; aurificis arte argento munita, si nasum excipias, cuius defectum valde notabilem nulla unquam materia, nulla artificis industria valuit restituere. Nec mora, brevi ex congestis undique pecunijs sacellum stetit, operis non spernendi, quod nunquam non refertum esset ærumnosis, sive corpore, sive animo.

Sed ut grandia nonnūquam videmus palatiorum propylea, quæ mole suâ æs omne in reliquam fabricam suffecturum absumpserunt; ita pietas, initio fortissima, ubi longiùs progressa est, nonnunquam deficit, & tantum non nulla est, quæ initio fuit maxima.

Atque

Atque hoc credo inter maxima Villæ Vitiosæ vitia unum fuisse. Certè sive hominibus miracula defuerint, sive miraculis homines, non ita multò post cum fragrantia fulgorèq; cælesti evanuit quoque hominum pietas; nec tamen usque eò, quin saltem à pastoribus & bubulcis propter vicina armenta identidem viseretur. Ita nempe via omnis homini longa est, quæ ad cælum ducit, & beneficia à superis non dari modò, sed apportari quoque volumus. Unus pastorum, Ferdinandus nomine, gente Castellanus, ausu, quo pauperes non solent, longo tempore imaginem honoravit: etenim eo ex oleo, quod ad mensuram accipere solitus erat in mercedem & alimentum, lampadem ardere fecit. Tum cordatior factus ipsam auferre decrevit statuat: itaq; reverenter acceptam, decentérque peræ inclusam, Cordubam versus deportat, atque in tractu Gamunerano, ubi

ubi nescio cuius divitis armētū pasce-
 batur, in cavo suberis trunco collocat.
 Hoc jam illi templum, hoc sanctuariū,
 hoc cælum fuit bubulco, & ne musica
 decisset, ipse nunc stans, nūc flexo genu,
 aut etiam sedens, quas callebat, canti-
 lenas admodulabatur. Quin & instru-
 menta musica deesse passus non est:
 nam fidicen licet esset nō bonus, factus
 tamē Virgini musicus est non malus.
 Etenim certum est, gratiores Virginis
 auribus fuisse chelyn bubulci, quā
 quidquid aulæ fidium habent. Nec ita
 multò post pastores alios & bubulcos
 Arion iste traxit in chorū, ne solus cēlo
 placeret præ omnibus unus. Ita festivā
 symphoniā nullo nō die colebatur Vir-
 go, rustico quidē, sed recto animo. Iam-
 que res hęc ita in plures abierat, ut Lu-
 sitani incuriē suæ irati ablatam cū Fer-
 dinando statuā quærerent, & non diffi-
 culter reperirent. Etenim armati com-
 plures equis militaribus vecti ad locū
 propē-

properat, Ferdinandum chely ludentē ad imaginem deprehensum inter acria verba primū liberali fustuario excipiunt, deinde furem cum S. Imagine jumentorum sarcinis iniiciunt, timidi que reproperant ad suos: demum etiam imagine sedi suæ restitutâ, furem in vincula conijciunt, & deproperatâ pro tribunali sententiâ furcæ destinant. Sed non est consilium contra Dominam: nocte supplicium jam imminens præcedente cælitum virtute Ferdinandus, è tetro carcere & vinculis, ad locū, unde abstractus fuerat, reductum se videt: Quin ipsa quoque statua non diu esse sine Ferdinando suo sustinuit: nam & ipsa quoque una cum fure suo tantū non eodem temporis momento ad suber suum, quod utrique pro templo fuit, reversa est. Caussam non habeo, cur ulterius vrbis huius (cætera virtutibus claræ) tam infamem nomenclaturam inquire

rere

rere pergam, quando hi non plurimi
 armati iterato flagitio infamandæ
 posteritati sufficiunt: nam Ferdinan-
 dum iteratò reum iterum inventuri,
 iterum in agrum Cordubēsem armati
 properant, iterúmque cantu simul &
 fidibus laudes Deiparæ parantem, eo,
 quo nuper, ritu exceptum, unà cum
 statua abducunt. Complurium die-
 rum itinere tandem ad Villam Vi-
 tiosam perventum est, ut illi quidem
 existimabant; jámque ingressuri vr-
 bem, non vanà conjecturâ deprehen-
 dunt, se eodem consistere loco, atque
 ad eundem suberis truncum, unde
 iter exorsi erant. Illi mirari primùm,
 deinde etiam horrore sacro corripì;
 & licet naturæ suæ vitio faciles essent
 in vitium flecti, tantis tamen è cælo
 monitoribus asperi esse non sustinue-
 runt. Itaque ante omnia cum fure in-
 gratiam redierunt: útque etiam cum
 Virgine possent, unà cum armis etiam
 pecunias

pecunias Ferdinando, in templū suffecturas donârūt. Ferdinandus quamprimum manibus operi admotis sacellū, quo potest, opere exstruit, positaq; ibidem reverēter imagini pluribus annis inter accurrentium, & miracula celebrantium plausus devotus, denique diem claudit extremum, & ibidem sepulturæ perhonorificè mandatur. (a)

Inter miracula hoc celeberrimum est: Cordubenses cū imbrem desiderant, statuam hanc ad solis occasum in suburbium deportant: die postera pompâ solenni in templum Cathedrale deferunt, mansuram inter præces populi, dum se Corduba sentiat exauditam. Quod ut primò factum est, cum die sequenti reclusum, in quo pernoctaverat imago, tabernaculum thesauro suo vacuum reperiretur, nec furti ullius suspicio subesset, jamque clerus cū populo processionem adornaret; reditum est ad sacellum Ferdinandi,

dinandi, repertaque ibidem statua est. Ubi communi consilio cathedralis templi Canonici primùm, deinde Cordubæ Magistratus solenni se juramento obstrinxêre, reportaturos se statuam post pluvias. Inde in hodiernum usque diem præstito priùs à Magistratibus juramento deportari in urbem statua non difficulter se sinit. Ita ad me P. Christoph. Fernandez de Aceved. extract. impresso 1622. à Licentiato Jo. Pæz de Valenzuela Sacerd. Cordub.

(a) *Hæc eadem statua aliquot post annis evanuit: credebatur furto sublata, sed suâ virtute delata est Antiquariam, & culta à pio sacerdote Ioanne de las Cruces. Rescivit Decanus Cordubensis, eamque repetijt. Fratres III. Ordinis S. Francisci Antiquarienses referunt ex suis Annalibus dictum sacerdotem fuisse sui Ordinis, & statuam sponte abijisse*

DE VILLA VITIOSA. 41.

*abijſſe & redijſſe ad ſacellum Ferdinan-
daum ; & pro ea fuiſſe eam ſubſtitu-
tam, qua hodie in eodem templo co-
litur B.V.M. de los reme-
dios, de qua ſuo
loco.*



IV. IMA-

IV.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
IN
MONTE SERRATO.

LVdentem cum hominibus in orbe terrarum DEVM æmulatur orcina sumia, cui vafrities præ prudentia est, dolus præ virtute, quando cum sanctis negotium ei est. Intellige lector, quem ex Hispania affero, non simplicem cacodæmonis ludum.

Est in Catalauniæ parte mons præruptus atque incultus, quem ideo jam à pluribus sæculis incolæ Serratum dixere, quòd scopuli nonnulli in pyramidum formam emineant, fidemq; faciant ignaris, ab arte, non à natura, eam in formam sectos, nisi molis vastitas naturæ potius opus, quàm artis argueret. Olim idolis dedicatum tradunt Scriptores: quibus ejectis incultum, ac sine habitatore permansisse.

Locus



Vertical text on the right edge, likely bleed-through or a page margin, containing illegible characters.

Locus ab incolis desertus, & tantum non inaccessus, placuit Joanni Guarino eremi jam dudum sancto cultori. Cęlitibus notior, quàm hominibus, vivebat in spelunca, homo, quo dignus non erat mundus. Antonios, & Macarios rediisse in vitam credere, vel ipse dæmon poterat, toties à viro triumphatus. Non defuere tamen, unde prælia redintegraret, plus quàm Punicæ fraudes; nam qui quandoque in angelum lucis se transfigurat, nunc eremitæ paulò minùs ab angelis minorati formam inducit, positâ eodem in monte casâ. Actæ sunt à Joanne Numini gratiæ, quando contubernalem reperit. Multa de cælo, de angelis, de DEO inter eos colloquia ex contubernali fecere jam patrem, nam & senior erat, & peritior in his novus eremita. Nunquam dedisse consilium malum consultori erat optimum, pessimum consulenti Guarino, qui velut

verita-

veritatis oraculum post DEVM in terris venerabatur jam non fratrem, sed abbatem suum, & patrem.

Guifrapelus (seu Gofredus pilosus) Barcinonæ comes filiam habuit, quæ dæmoni præ tugurio suo placuit, dignaque visa est, quæ habitaretur ab angelo. Hanc itaque (ô abyssus judiciorvm DEI !) ingressus, brevi docuit, quàm inhospitalem puella haberet possessorem. Jam & flagitiosissimos quosque inferni vel fastidium, vel horror incessit, quando videbant, tormenta in innocente exerceri in patria domo, quæ vix deberi credebant reis in inferno. Durum erat in domo nobili inferni hospitis contubernium, quapropter nihil deesse eorum passus est comes, quæ juvare filiam possent. Sed aliud nunquam à maligno dæmone expressum est, quàm se tunc exiturum, cum Joannes Guarinus sanctus Serrati montis incola esset præceptorus

rus; huius meritis puellæ liberationem
 deberi. Quæsitum quàm primùm ser-
 vorum industriâ, & denique inter præ-
 cisas rupes inventura Guarinum
 comes cum filia, servisque accedit,
 filiam unâ secū ad pedes Sancti abiicit,
 opemque inter lachrymas poscit,
 quibus etiam Guarino ipsi lachrymas
 excivit. Hæc nempe piorum est in mi-
 seros sympathia. Deprehensum est, à
 patre mendacij veritatem exiisse con-
 tra morem, & Guarinum sanctum
 esse. Nam postquam dixit, quæ sancti
 solent, ad alios tantis in rebus eundū,
 sanctos, & peritos querendos, non pec-
 catores, & simplices, suis tamen & po-
 stulantium lachrymis fatigatus, in-
 genua prolapsus brevi peroravit: nam
 malus hospes quàm primùm signa edi-
 dit, quæ liberatam puellam demonstra-
 rent. Actis itaque DEO & Joanni Gua-
 rino gratijs, jamque redeunti cum filia
 patri fuere ex servis, qui in memoriam

revocarent minas dæmonis, certo certius redituri, si puella è tugurio Guarini intra novem omnino dies dimoveretur. Itaque comes Guarinum rogat, miseræ ut bene sit, ægrè sibi esse per paucos dies sustineat, filiãque dum plenam à dæmone manumissionem obtineat, eodem secum tugurio hospitari permittat. Abnuat senex, hominem se esse oportune tunc recordatus. Filios Dei olim à filiabus hominũ deceptos, quid sibi, tantus cum non sit, promittere posset cum filia diaboli? Urget comes; reponit eadem Guarinus: dum denique fortior petendo comes, quàm Guarinus negando, amore filia, filiam deserit volentem, atque in subjectum monti oppidum tantisper cum servulis descendit.

Relicta à patre filia, non tamen à Guarino derelicta fuit, in quo plus quàm oporteret, humanitas eluxit: jãque primis diebus eò in sacris colloquijs

loquijs processum erat, ut & puellæ inciperet sapere solitudo, & Guarinus discipulæ miraretur profectum, & virtutem, ultrà quàm merebatur, æstimeret. Nempe gratior est pulchro veniens in corpore virtus, ea præsertim, quæ est oculis subjecta fidelibus. Nec illa minùs virtutem intuebatur in sene, suo bono, senis periculo: nam quid interest, si ve videas, si ve videaris à Basiliſco, quando moriendum tibi est. Sed quis venena metuat à tam innocente columba? quis flagitium suspicetur in eremita, in sene, in sancto, &, quod caput est, non minùs sui, quàm dæmonū triumphatore? Senis virtus ferrea ut sit, & virginis lapidea, utraque dura, utraque frigida, tantò aptior dæmoni materia, unde ignem vel infernalem prolificere queat, ut qui scit, vel homines è silice, & ferro ignem excutere, quando poterat vel sine dæmone ignis accendi in homine, crinibus puellæ ve-

lut funibus. ligato, verbis. incantato,
 oculis, velut stellis, è celo cadentibus,
 si non fulminato, certè siderato. An
 nescis? oculi sunt in amore duces.
 Fuit, cùm senex ab accenso de caliti-
 bus colloquio rediret, quorum cor-
 pora gloriosa contèplatus est in puel-
 la, non siue raptu atque extasi, reco-
 lènsque secum paulisper, quæ viderat,
 sentiret aliam legem in membris suis
 repugnantem legi mentis suæ, & se-
 tangi. Dæmon ignis fovendi non mi-
 nor artifex, quàm accendendi, festucas
 primùm superiniicit, & leni flatu fo-
 vet, tum adjungit ramenta, quæ simul,
 ac flammam. cõcepère truncis parem,
 truncos superaddit, & denique in mul-
 tos pedes porrectas trabes, eâ tamen
 solertiâ, ut vel in oculis proprijs ne-
 sentias quidem. Sensit itaque amoris
 scintillam senex, sed quia scintilla
 tantùm fuit, sprexit, ignarus, parvam
 sæpe scintillam contemptam. magnum
 excitâs-

excitâsse incendium. Quid deinde? inquit (nam secum ipso loqui docuit amor) nemo, quod pulchrum est, odit, ac, proximum non amare, quasi scelus ariolandi, quod verò tota quanta est, in puellam vergat charitas, hinc est, quòd in plures dividi nequit, nec ferrì in absentes. Adhæc amatur virtus, quæ nullius odio digna est. Animata sic in fene virtus, jamque seipsâ, sive fortior, sive debilior contra audentior ibat, & nullo metu, nullâ periculì suspicione, non minùs suspiciebat fortitudinem suam, quàm formam puellæ, donec tandem sibi ampliùs negare non posset, esse aliud in puella, præter virtutem, quod veneraretur, & amaret. Sic ubi lapillum pìso parem in lacum malacia tràquillum injecisti, venustissimæ rotunditatis circulum excitabit in aqua, hic secundum ac tertium non paulò majorem, è tertio jam in decimum usque propagabitur unda, deni-

que unda undam trudet, & amplissimæ vastitatis portentosum dabit circulū, quovis amphitheatro capaciorē: quis tanta expectet à lapillo? Ita senex trudentibus se invicem cogitationibus jam se peti à Dæmone nō obscure dolebat. Itaque, quia nemo repente fit pessimus, nec virtus omnis extrudi se momento sinit, ad eremi socium properat, periculum detegit, auxilium rogat, prudenti consilio, nisi in consultorem perversum impegisset. Subridens ille, non hæc nobis frater, inquit, nova sunt, novisti hostē, novisti hostis arma: ligatus est, mordere non potest, nisi volentem. Alexios, & Agnetes cogita, potuerunt isti, & istæ in puellari ætate, nobis sera senectus, & quæ cum barba venit, crevitque matura prudentia, nihil timendum portendant. Ad hæc puella deferenda non est, ne pereat, unicuique enim DEVS mandavit de proximo suo: ut prælio vno cæsus fugatuf-

gatúsque sit démon, debellatus tamen
 nondum est. Novem intra dies vincere
 démon non poterit, quem novem jam
 & pluribus lustris victorem timet. Po-
 ne metum, & redi, ne victus à dæmone
 audias, provocantem ad justam pugñā
 non fuge, cordatos præter fortunam,
 etiam Deus juvat. Plus triduo non su-
 perest. Durate, & vosmet rebus servate
 secundis. Quòd si te ipso infirmior pu-
 ellam deferas, eremum inficies & ca-
 nos nostros. scis, quid mundus cogitet,
 dicat, agat. paria de nobis sentiet, si
 ablegatā puellā suspicioni facias lo-
 cum. Interest illū nostras pugnas ne-
 scire. Noli, & vicisti. Dixit, & sine cru-
 ce hospiti bene precatus post carecta
 fugit. Joannes ex timido fortis, quia
 & audax, & demum etiam impudens
 factus, victoriam præsumens, non spe-
 rans, domum properat, non solus: nam
 comitem in via habuit, quē prius au-
 dierat consultorem. Is longè jam alijs

consilij Joannem distinebat. Mirum, quantum extolleret solitudinem, & solitudinis impenetrabile secretum. DEI justitiam, ut sciebat, esse infinitam, jam tamen novâ Philosophiâ unum, infinitum erat majus altero, & misericordia superexaltabat judicium. Possit DEVM cōnivere semel in amici errore, qui tam prodigè hostibus veniam largitur. Plura suasit, cùm Joannes casam ingressus in conspectum hostis venit, quando vel ipse hostis (innocens puella) inaffabilem se non præbuit. Dum tandem victus Guarinus faceret, quod antè horrebāt, quòdque vix dum faceret, volebat. Et jam subitò alia rerum apparuit facies: nam extrema gaudij occupabat luctus; vix non cingulo finiendus. Itaque inter lamenta & lachrymas ad senem currit, factum cum gemitu fatetur, poscit in arena consilium. Ille, confirmato pœnitente, solitudinis horrorem, decusque extollit;

tollit; tantillæ ætati credi non posse tantum secretum, iret proinde, & ut solitudinis cōsuleret honori, puellam funus faceret. Suasum est, & etiam persuasum. Quare mox eam trucidat cultro, & prope ipsum tugurium sepe- lit. Redeunti patri mentitus est, abijisse tantisper, nec unquam comparuisse: credibile esse, incautam è cacumine, quopiam abijisse præcipitem in abyssum, nullo labore inveniendam. Abijt comes cū suis Manresam, Guarinus domum, uterque tristis; sed Guarinus lumen cæli videre non ausus, ad pœnitentiam se convertit, postquam eremitæ cõtubernalis detectâ larvâ fraudes deprehendit. Domabo te, inquit, asine: nec plura. Romam ivit. Pontifici peccatum aperuit; pœnam, quamcunq; constitueret Pontifex, subiturus.

Pascebant interea lanigeras oves & saltantes in montibus capras Catalaunorum pastoritij pueri omnino fe-

ptem. Hi, delabi nocturnis horis è cælo splendorem, & in cavernæ cujuspiam cacumine confidere observârunt non semel; & divinum quid eo lumine portendi credebant, quòd non alijs, quàm sabbathinis hæc noctibus contingerent. Itaque parentibus indicant, quæ vidissent: qui semel iterúmque splendorem à se conspectum ad subjecti pagi Curionem deferunt. Postquam & hic rem exploraturus unam, alterámve sabbathinam noctem vigillâset, eadémque, quæ referebantur, intuitus esset, rem Episcopo loci, qui tum Manresæ degebat, totam, ut erat, explicat. Is confestim proximo sabbatho, in rem præsentem ipse venturus, locum accedit, è quo conspici descendens è cælo radius posset, quem ubi, ut cæteri, conspexit, postero mox die misit, qui quàm solertissimè locum indagarent. ventum non difficulter ad cavernam est, quam non obscure indica-

verant

verant pridie cęlestes radij, repertaque Virginis est Deiparę, non minüs venusta, quàm vetusta imago: sensere insuper, quotquot locum adierant, odorę, quem cęlum cum radijs demisset, quęmque inculti montis flores spirare non possent. Ipse Episcopus locum adiit, Matrę in imagine veneratus, quantā per celeritatę licuit pompā processionem instituit, a sportaturus tantum thesaurum, & meliori sede in subiecto monti pago (Monistrolonomen est) collocaturus. Videbatur idem velle Virgo: nam & facilę moveri se loco sustinuit; quın aliquantisper etiā portari nō recusavit. At verò, ubi eum ad locum ventū est, ubi Guarinus comitis filiam sepelivit, & saxis obruit, hęc enim verò iussit Deiparę quiescere bajulos; imago enim, ut antę non gravis gestantibus fuerit, ita nunc loco nullis viribus poterat moveri. Latus tam portentoso eventu

præsul, è cæsis arboribus tumultuariū
 in loco sacellum struxit: quod in dies
 à concurrente populo, & miraculis ce-
 lebrius factum est. Fuit cū comitis
 Guifrapeli venatores cum canibus
 montem lustrarent, prædam acturi,
 quam fors obtulisset. Vix venationem
 exorsi, canum latratu ad feram ducun-
 tur, quæ molossos stitit, non ausos
 incognitæ formæ bestiam aggredi.
 Monstrum immane, ingens, quadru-
 pes, pilosum, cui natura pro pelle de-
 disset corticem, vocem nullam. Ste-
 tère diu cum canibus venatores, dum
 demum audacissimus omnium acce-
 dit, bestiam tangit, & injecto cervici
 fune secum trahit, sponte sequentem.
 Re penitiùs inspecta jurabant venato-
 res, rediisse silvestria Numina Faunos,
 atque ex his unum esse hunc semivi-
 rúmque caprum, semicaprúmque vi-
 rum, cui præter cornua nihil deesset.
 Ducitur domum fera, comiti sua ra-
 tate

ritate chara. Magno non dedit, neque enim aliâ vixit Faunus hic annonâ, quàm si quem fortè præcipitatum è mensa panem comitis canes fastidivissent. Ducebatur, reducebatúrque per thalamum bestia, hospitibus ad spectaculum citatis, quoties comiti visum esset. Cùm ecce aliquando in media amicorum corona bestiam intuentium, comitis Guifrapeli filiulus, vix tres natus menses, clarâ, contentâque, quæ ab omnibus intelligeretur, voce: *Erige te, inquit, frater Ioannes Guarine: nam DEVS remisit tibi peccatum tuum*: quo dicto ad naturæ leges redijt puer, & tacuit. Conticuère pariter omnes suspensi animis, quis ex omnibus à puero frater, quis peccator diceretur; cùm ecce, ægrè vultum erigit bestia, & in pedes se tollit, imoque corde suspirium trahit. Dum cæteri mirantur, stupent, horrent: scito lector, Guarinum cum Davide peccâsse, cum

Nabuchodonosore pœnitentiam egisse: secutus est Guarinus peccantem: secutus est & pœnitentem. Et verò factum ut bos comedit, & inter bestias reputatus est, & septem tempora super eum mutata sunt: septennium enim est integerrimum, quo Guarinus cælum intueri non ausus, cum cæteris animalibus pronus terram spectat, vix amplius hominem se sciens, cui os sublimè datum sit, cælumq; xueri. Interea arrectis, quotquot aderant, auribus adstabant, audituri bestiam loquentem. Tum Joannes, quem septennij silentiũ eloquentem fecerat, brevi exordio benevolas sibi præ alijs aures comitis facit (nam his opus erat) tum quid ante septennium cum filia actum esset fidei narratione recenset; & habes, inquit, ô domine, confitentem reum, pro cultro gladium prehende, & si placet, feri, ac momento ad pedes heri provolutus collum, jugulumque præbet, ne

talionis

talionis pœnam recusare videatur. Non tulit tantã virtutem comes: quid enim plecteret in Guarino, cui cœlum jam porrexisset veniam? Surge, inquit, amice! pœnas dedisti oppidò magnas: hoc te tantisper pallio tege, ut te hominem sciamus. Vnum est, quod peto, sepultæ filiæ ossa nobis monstra, honoratiore tumulo digna: præi, sequemur. Itum est ad montem, ventumque ad miraculosæ imaginis facellum. Lætitiâ non mediocris patris animum perfudit, mirantis ibi Virginis statuam, habere stationem voluisse, ubi filia occubisset, jamque de salute puellæ bene speravit. Ibi Guarinus paucos, sed prægrandes lapides tolli jussit, tristissimo parenti filiæ corpus redditurus. Et verò etiam cum corpore animam dedit: nam simul, ac apertus est tumulus, profiliit filia, viva, sana; & quod caput rei est, lætitiâ gestiens. Virum se pater ostendit, quando inopinata lætitiâ,

titia, nullo intervallo dolorem secuta, oppresso corde hominem non interemit. Haud paulò minor fuit stupor Guarini; ut qui præ quàm alij, & loci, & temporis, & cultri memor, sciret puellam ante septennium mortuam; atque eandem, non aliam, esse prodebat etiamnum rubea cicatrix in gula, in facti memoriam à superis relicta. Rogata à patre, quî hoc contigisset? Illa, Virgini Deiparæ nunquam non addictissimam se fuisse, reponit, eius ope ad vitam rediisse, quàm nullâ suâ culpâ amisisset. Tum pater, de sponso, de Hymenæo quædam interlocutus, reducere filiam, sed frustra conatus est, nam illa, ubi vitam recepisset à superis secundam, ibidem quoque mortem præstolari secundam decrevit: vel ideo etiam, quòd imago Deiparæ miraculosa à tumultu suo discedere nuper recusasset, decere itaque, ut nec ipsa à Virgine missionem postularet.

Comes

Comes dote, quæ filia debebatur, religiosarum virginum asceterium in loco quàm primum extruxit, nec defuere nobilium familiarum virgines, quæ sub hac antistite S. Benedicti regulam profiterentur. Ipse Guarinus vnà cum Monistrolis Rectore curam virginum suscepit, & in subjecto monti pago habitavit, vitamque sanctè traductam, sanctè quoque vnà cum Guarino comitis filia finivit. Hodie virorum monasterium sub regula D. Benedicti celebre ibidem est, & B. V. statua miraculis portentosis celebratissima.

*Hodie in præclarissimo, quod deinde
 extructum est, templo Deipara statua
 sublimis visitur in maximo templi sac-
 cello. Ante eam lampades ex argento
 quinquaginta pendent, ardētque, Pon-
 tificum, Imperatorum, Regū dona. Ar-
 dent certis diebus certi complures ingen-
 tis*

eis ponderis, templique supellex auro,
 argento, gemmis constat. Reliquiarum
 sacrarum thesaurus maximus. Mira-
 culorum, qua ratione probata sunt testi-
 bus, extat liber magnus. Nemo est tam
 miser, qui tēplum, cui pro tapetibus ana-
 themata sunt, ingressus non erigatur in
 spem. Plura Alfonso Villegas in flore
 Sanctorum p. 2. c. 23. qui historiam hanc
 ex vetustissimis, qua in cœnobio asservan-
 tur, litterarum documentis se accepisse
 testatur. Cui adstipulantur non modo spe-
 lunca Ioannis Guarini, & alia sathana,
 eremita olim speciem mentiti signa, qua
 adhuc in monte Serrato peregrinis osten-
 duntur, ubi lapideis imaginibus hac ex-
 pressa cernuntur, verum etiam vetustis-
 sima traditio, & innumera, qua in eo
 templo miracula produntur, hoc ipsum
 satis confirmant. Hoc in templo S. Igna-
 tius Loiola Societatis IESV Fundator
 anno 1521. confessione generali peracta
 CORAM

corã Deipara simulacro relicta profanã militiã sub tanta Virginis presidio Christi militiæ nomen dedit, & integram noctem vigilavit. Vide P. Anton. Spinell. in Thro. Deip. 17. de festis, ac templis Deipara num. 57.

Anno 1567. 25. Jan. nata est Vienna Margarita, filia Maximiliani II. Imp. hac ereptis sibi ciliatolis solita est filis aureis constringere brachia ad sanguinem usque. Mortuo patre in Hispaniam profecta Monserrati coram imagine cū lachrymis id unum petijt, ut se B. V. Filio suo sponsam conciliaret. Annuis statua. Illa, aperto pectore, cultello scriptorio sanguinem elicit, eoque scriptã syngraphã sponsam se IESV Christo dedicat, hisce verbis: Hoc sanguine meo, de corde meo sumpto, confecro, & dedico me tibi IESV in sponsam, oroque humiliter, ut Virgo MARIA mediatrix mea esse dignetur: in cuius fidem hoc confir-

confirmo. Margarita. *Annuit iterum
statua. P. Ioan. Gans in Gyn. Austr. qui
addit similem fecisse syngrapham iter ñ,
cùm audijt à quodam similem
factam esse De-
moni.*



7222
92
27 2

1-



V.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
DE FONTE SANCTO
CORDVBÆ.

ILLE vir, ad Dominam quem Corduba miserat urbem, ut daret ingrato vitæ præcepta Neroni: Senecam dico, Patriæ suæ decus, multa de fortuna iniqua, aquâ mente sustinenda, scripsit, pauca expertus est. Etenim divitias, quibus affluebat, sic contempsit, ut tamen non abijceret; sic respuit, ut tamen ijs bonum dominium (semetipsum) non invideret. Quid si fortunam plebei, de quo loquar, Cordubensis nactus esset? Hic in camino paupertatis à Deo, velut in Lyceò, eruditus, cælo nondum maturus, jam tamen, ni fallor, destinatus, aliam Anæo Philosophiam, longè ab illa Apathica diversam monstrasset. Fuit hic Gundisalyus Garzia è paupertina tribu

bu inter primos: familiam aiebat exiguam, oppidò tamen gravem, & copiosam: etenim præter vxorem, licet multâ prole non gravaretur, filia tamen unica, nullo afflictæ domûs solatio vivebat, semper ægra, morbo, quem nec Christus (quantum quidem è sacra historia habemus.) unquam curâset, mentis inopiâ, quam stultitiam vocamus. Quanta hæc in tam sapienti natione afflictio sit, nemo præter Hispanum, satis capere potest. Adhæc conjugotium sectabatur iners, sed omnium, miseratione dignum, longis annis paralysi lecto affixa. Maritus, ut multum lanæ, improbo labore perdius & pernox carminâset (hoc nempe homini opificium erat) pretium operæ non tantum in linum & lanam, vnde vestirentur, non sufficiebat, sed nec in cibum. Vxor, quâcumvis nihil ageret, non parum tamen egit, tam multa, tam æquo animo ferendo. Filia, eorum

ritu

rite, qui mentis impotes sunt, multa etiam malè egit, non modò inutilis, & fruges tantùm consumere nata, sed etiam quandoque noxia. Itaque maritum videre fuit, qui vel Roscium superaret, ita multas solus in hoc theatro sustinebat personas. Etenim, ubi cum filia agendum erat, patris, matris, & tantùm non nutricis erat induenda persona. Vbi auxilium ipsius poscebat vxor, præter maritum etiam servum, & nosocomum agebat: cùm vocaretur ad culinam, ancillæ munia obibat.

Reliqua domûs ministeria ut mediastinus exercebat. Vbi verò totius familiæ, id est, & suæ, & suorum necessitas postulabat, ad lanam & pectines respiciebat. Ita omnibus omnia factus miserè vixit. Hinc domûs probrum & inutile ac perpetuum onus, filia stulta; illinc materfamilias paralyti afflicta: nil in paupere domo, quod inopes sustentaret, quod afflictos solaretur; sed

nec.

nec foris, qui afflictis opem ferret, inveniebatur. Pretium operæ, quod è laudificio hebdomas nullo die festo interrupta, daret, vix sufficere quandoque in sesquidiem poterat. Inter hæc tamen Gundisalvus sibi constabat, nec ad furta, aliâsve malas artes, nec ad inutilia infelicitatis remedia, blasphemiam, & desperationem respiciens. Fallor, si credo, tantam Annæo Cordubensi fuisse virtutem, quantam huic Gundisalvo: quantumvis ille ingeniû, quo sæculum illustravit, in capite orbis, Roma, auxerit, pessimi discipuli infelix pædagogus.

O felices! ô térque quaterque beatos Christianos, quibus semper in afflictis rebus superest, quod sperent, modò cælum suspiciant! Gundisalvus ex antiquis Christianis unus, in mari suo naufragus, ubi omnia pontuserât, ubi littora quoq; ponto deerant, nulla evadendi spe, se, suosque aluit, ad
mundi

mundi cynosuram converſis oculis, ſtellam identidem reſpiciens, vocanſque MARIAM. Cùm verò quodam die in aperto etiam campo inter lachrymas Virginem inſclamaret ardentius, & opem, quam terra negabat, poſtularret à cælo; ſenſit cæleſtia incipere ſubſidia, cùm ceſſant humana.

Námque Virgo Deipara, unica ſpei anchora, quæ hætenus Gundiſalvum cum familia perire omnino prohibuerat, viſendam ſe obtulit, non ſola: nam ſanctis Cordubæ patronis Aciſclo & Victoria (quos fortè etiã invocaverat) utrinque ſtipata. Quin etiam, pulſo metu, hominem allocuta: vade, inquit, & ex hoc fonte (ſimul locum oſtendit) aquam hauri: quam ubi vxór filiãque cum fide hauſerint, utraque ſalutem cõſequetur. Nec mireris tantam in eſſe laticĩ virtutem: naſcitur enim eo in loco, ubi inter annõſæ ficulneæ perplexas & nodofas radices

E

imago.

imago mea condita delitescit, quam ad multorum salutem erui, colique posthac volo, extracto Cordubensium sumptibus templo.

Gundisalvus post Virginis abitum, jam seipso major (tantum spes potest) vase sive coempto, sive precario accepto, ex invento fonte haustam aquam ipse primum pie libat, deinde duo milia passuum (tantum enim vrbe distat) currenti quam eunti similior domum properat, iussasque potare sacrum laticem feminas, re tota narrata, repente salvas sanasque videt. Jussis deinde inter gratiarum actiones consistere, domi feminis, Episcopum properè accedit. Non fuit arduum ei persuadere, locum adiret, & Virginis mirificam imaginem vestigaret.

Itaque post expensas miraculi rationes, collecto populo, ritu quam maximè festivo, per duo illa extra portam milliaria itur. Reperta prope fontem

anno

annosa ficus præfulis imperio eruitur, atque inter nodosas radices implexa imago reperitur lignea, sesquipedem longa, fusca colore, & veste inaurata, JESVLM sinistro brachio velut statem sustinens, &, quod omnes in stuporem rapuit, integra, illæsa, & coloribus tantum non recentibus. In urbem inter festos campanarum sonos deportata, brevi docuit, quanto cælum felicitasset thesauro Cordubensem urbem: nam & Virgini coram hac imagine supplices, & qui sacrum laticem cum fide potârunt, damnati votis discessere. Certè Regem Aragoniæ magnis continuisque febribus laborantem hæ aque sanitati restituerunt. A victis præsertim ac captivis nunquam sine operæ pretio invocatur. E miraculis (a) unicum memoro.

Debet imagini huic Societas nostra virum incōparabilem Thomam Sanchez: qui licet illibatam virginitatem

cum prima innocentia ad decrepita[m] usque senectutem, & in ipsum etiam tumulum detulerit; libros tamen de matrimonij Sacramento scripsit, quos scholæ venerantur, quos utriusque fori tribunalia complectuntur, quos omnes docti admirantur.

Hunc, inquam, virum Societas nostra huic Divæ debet. Ille enim juvenis eum esset, aut pænè potius puer, & Societatem omnibus votis ambiret, eam solam ob causam tulit à majoribus repulsam, quòd ad vitium usque impeditæ esset linguæ. Itaque ad patronam suam conversus coram hac imagine in genua provolutus, fiducia[m], quæ filium decebat, linguam postulat meliorem, certus, non templo, non loco discedere, dum Virginem sensisset in vota pronam, & accepisset, quod tantis gemitibus postulabat. Nec Thomas longi temporis moram in precibus consumpsit. Mox enim auditus est, accepit.

cepitque linguæ usum, in omnem eloquentiæ ornatum expeditum. Itaque quàm primùm ad majores properat, & experimento novæ artis eloquentissimè eos in sua vota trahit, & in Societatem JESV recipitur.

(a) *Ita ad me P. Alfonsus Rodriguez. Historiam ipsam Ferdinandus de Molina Major Capellanus templi huius accepit ex pervetustis lapidibus, & authenticis Scripturis, typisque vulgavit,*





REGNUM CILE.

VI.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
DE CANDELARIA.

EST in regno Cilensi Insula, quam incolæ Tenariffe, Hispani, qui Insulæ domini sunt, magnam Canariam appellant. Idolorum hîc, si uspiam alibi, vigeat cultus ac veneratio. Quidam enim eorum ignem (qui in regno Cilensi è quàm plurimis montibus, velut inferni caminis, nunquam non assurgit) pro DEO coluerunt, & prudentiùs insanierunt: ceteri deos opera manuum suarum appellârunt. Non illis difficile fuisset auctorem rerum cognoscere & venerari. At verò, ubi hi tacuerunt, lapides ut loquerentur, necesse fuit.

Statua Deiparæ, quæ de Candelaria nomen habet, quæque hodie miraculis claret, in saxi cuiuspiam caverna à Gentili-



Gentilibus reperta est, atque etiam, culta, nescio, quibus barbaris cæremonijs, priùs quàm ullus Christianorum, illuc adueniret. Fuit, cùm gentiles inter Patriæ suæ miranda Hispano, quem prima navis advexerat, ostenderent hanc imaginem. Stupuit ille venustissimi operis statuam Virginis, filiolum brachio dextro sustinentis. Quomodo enim effigiarent barbari illam, cujus nec fama ad eos peruenisset? atque ut christianis mysterijs imbuti essent, quod factum postea est; tota tamen in Insula nullus sculptor repertus est, par operi tam eleganti. Optasset Hispanus ille adesse, qui instructum religione verâ populum sacris aquis ablueret. Non defuit tamen muneri suo: fecit, quod potuit, docuitque, statuam hanc flexo poplite, erectisque in cælum, manibus coli velle, sensurósque obsequij sui non poenitendos fructus, si dixissent, AVE MARIA. Plura volentem

dicere, vetabat idiomatis, quo gens^{us} utebatur, ignorantia, & navis reditus. Fecerunt incolæ, quod ab Hispano didicere. Beneficia cultores istos accepisse à B. V. non assero: quia in historia Cilensi, unde hæc sumpsi, non legi. Pietatis tamen perseverantia, & Virginis in supplices proclivis misericordia dubitare me non sinit, quàm plurima etiam facta esse miracula. Atque, ut horum nihil fuerit; maximum id Virginis donum credi potest, quòd, cum Patres Societatis Jesu illuc pervenissent, jam paratos in sacra christiana invenerint gentis animos, & præ quàm alij solent, in Virginem Deiparam pios. Unde hæc statua miraculis hodiè que clarissima Insulam totam Mariophilis gratam acceptamque redidit.

Quis

Quis barbaris characteribus inscriptiones statuæ inseruerit, auctor non memorat. Explicationem eorum subjungo.

- A collo. . . *Typus Matris.*
- A manu sinistra. *Incorrupta, desponsata, Imperatricicali & terra, sponsa Creatoris æterni.*
- A manu dextra. *Hic est infans, qui genitus fuit sine principio ab omnipotente Creatore.*
- In fimbria. *Hæc est pacifica Maria, quæ fuit Anna partus.*
- In Zona. *Pro nobis ora Advocata.*
- In manica sinistra. *Purificatio, & Presentatio Infantis.*
- Ex historia Cilensi Roma impressa Italicè.*

VII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
DE ARAVCO.

VT materiam nonnunquam opus artis superat, ita naturâ quandoque provocat artem, nunquam paria facturam. Dabimus loco suo imagines Virginis, quas Angeli fecêre: hanc, de qua nûc loquor, natura velut deliberato casu, vel ignorans, quid faceret, effigiavit.

In ea parte terræ Araucanæ (in regno Cilensi) quæ Tubulia dicitur, nō multùm à mari mons est, & in monte spelunca ad hemicycli formam peritissimè facta, in qua statuas collocare solemus. Cannam cum dimidia altitudo habet, latitudine velut ad leges architectonicas respondente. Et verò etiam, quem in usum natura locum tam bellè efformaverit, intuenti apparet. Nam statuam Virginis cum

JESVLO



JESVLO in brachijs eodem è saxo productus, non insitâ vi, sed prodigio. Videre est eodem planè è saxo ludētibus venis capillaturam subfuscâ, crispâ, & è capite in humeros usque, decorè defluentem; vultum cādīdum, & ad sculpruræ præcepta venustè prominentem; vestem colore rubeo, pallium foris flavo, intus cæruleo sic imbutum, ut nec in rubeo Sandali, nec in cæruleo colore Brasília desiderare possis tincturam. Atque hæc omnia ludentis naturæ, sive jocus, sive pietas, eodem è saxo interludentibus diversorum colorum venis jam dudum, efformavit, & ne thesaurus ante tempus deprehenderetur, virgultis, vepribusque obtexit, dum puellus Indus adveniret, qui tanti prodigij spectator primus atque inventor haberi mereretur. Ut nempe ex ore infantium & lactentium perficeretur laus MARIÆ, eo loco, ubi lapides loquuntur, quando

VIII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA.
DE LIGVA.

HABET Ilium suum, suámque Troiam, perinde ac Asia, regnū Cilense, quod priore sæculo Ecclesiæ, & regnis Hispaniæ accessit. Non tamen defuere, qui fidem antiquam secuti Cilensium, persequerentur novam Christianorum, licet suâ antiquiorem, Christianarum urbium quæpiam in votis erat hostibus. Hanc obsidione cinxere primùm: deinde etiam vi barbara occupavere: denique occupatam flammâ ferróque, ritu suo, id est, barbaro devastavere. Troiam vidisses cū spe sua inter cineres sepultam. Nemini mortem optanti rogas defuit. Per paucis consilium fugæ profuit: inter quos Petrus de Ibacave, nobilis Hispanus. Huic Trojæ Æneam suum deesse videns indoluit.

Erat



homines tacent. Raptus enim in admirationem puellus: Viden', inquit, ô mater, quàm speciosa Domina hîc stet, quàmque speciosum brachijs filiolum sustineat. Non nescia mater hoc in fruteto inter saxa & rupes magnatum conjuges non meridiari, credidit tamen filiolo mater, locumque accessit, ibique statuam, cui parem nunquam viderat, conspexit. Rapta primùm in admirationem, deinde etiã, & sine mora, clamore omnia implevit. Ita, quod sæculis fortè pluribus secretum erat; paucas intra horas fæminæ beneficio in publicum abiit. Pervenit quoq; fama ad Patres Societatis IESV, qui tunc ea in regione fidei propagandæ causâ versabantur. Hi ocius ad locum se contulêre, conspectoque prodigio locum purgârunt, & fundamenta templi designârunt, quod ibidem vicini Christiani promptissimè comportatâ materiâ struxerunt. Et verò

tan-

tantos honores Virgo Deipara mereri in illâ statuâ est visa; siquidem fœmina statuæ inventæ index, cùm peste laboraret, de saxi illius pulvere, medicinæ loco sumpto, repente convaluit. Pietati Christianorum ut confuleret. Episcopus, vetuit honores statuæ fieri publicos, dum tota ad fidem Ecclesiæ regio adjungeretur, ne fortè ab hostibus Christianorum diffringeretur, & posteritati tantus thesaurus subtraheretur. Hist. regni Cilensis Romæ Italicè impressa.



VIII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA.
DE LIGVA.

HABET Ilium suum, suámque Troiam, perinde ac Asia, regnū Cilense, quod priore sæculo Ecclesiæ, & regnis Hispaniæ accessit. Non tamen defuere, qui fidem antiquam secuti Cilensium, persequerentur novam Christianorum, licet suâ antiquiorem, Christianarum urbium quæpiam in votis erat hostibus. Hanc obsidione cinxere primùm: deinde etiam vi barbara occupavere: denique occupatam flammâ ferróque, ritu suo, id est, barbaro devastavere. Troiam vidisses cū spe sua inter cineres sepultam. Nemini mortem optanti rogas defuit. Per paucis consilium fugæ profuit: inter quos Petrus de Ibacave, nobilis Hispanus. Huic Trojæ Æneam suum deesse videns indoluit.

Erat



Erat in vrbis, sive templo, sive sacello, Virginis Deiparæ statua, in quam plus Christianorum pietas contulerat, quàm artificum peritia. Omnibus in tanta flammæ, ferrique confusione sua quærentibus, nemo erat, cui Penatum Christianorû cura esset, qui statuæ exportandæ cogitationem susciperet. Atq; ut fuerit quispiam, statua è ligno erat, & dimidiæ cannæ altitudinem æquabat, & viri in fugam proni, & currentis, vires roburque superabat. Sine Matre fugam inire non sustinuit. Statuam igitur Virginis, quam præ omni gaza habuit, tanto suo periculo, quanto suorum bono, per arma, per ignes exportat, atque in valle, quam Legam appellant, non multum ab vrbe S. Jacobi distita, velut thesaurum deponit in domo sua, eiúsq; præcipuum thalamum in sacelli formã adornat, alter Æneas, & verè pius; nisi quòd ille patrem hic matrem extulerit. Nunquã evenire


evenire mala hominibus solent singula, præsertim, quæ è cælo adveniunt. Itaque vrbes & campi, qui hostium ferrum flammâsque evasere, siccitatem acceperunt, negante pluviam cælo, quæ frugibus debebatur. Vix interest, flammâne, an fame intereas, nisi quod per hanc lentius, per illam fortius ad mortem properes. Factum in necessitate publica est, quod à Christianis solet: sed cælum velut ære fusum lachrymâtibus Christianis collachrymari visum non est; dum Petrus memor Divæ Matris, de supplicatione instituenda, deq; statua per campos circumferenda loqueretur. Auditum est consilium: decreta processio, & quantâ licuit pompâ, D. Virginis statua circumlata: quæ simul ac campos siccitate laborantes aspexit, ipsâque à cælo conspecta est, dici non potest, quanta celeritate ex omnibus cæli plagis collectæ sint nubes, atque in pluvias salu-

tares

rare solutæ. Et ut scias, à Virgine pluviam in annum profuturam devenisse; ventus, qui nubes coëgit, in Virginis pallio primum deprehensus est, è cuius motu populus fixo obtutu in imaginem intentus, futuræ pluvie omen accepit. Statua exinde templo importata, quia fidem sibi apud Christianos hoc miraculo fecit, honoribus aucta est, ut sæpius honorantibus prodesset. Historia Cilensis regni Romæ impressa Italicè.



GALLIA.




GALLIA.

IX.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
ANICIENSIS.

H VIVS statuæ historia fidem, quam miraculis meretur, apud omnes non reperiet, ut quæ illâ auctoritate careat, quam septuaginta duo testes omni exceptione majores, summum jus exigenti, observatis legum cæremonijs conficerent. Antiquitatis decus à rubigine est, quam si deterferis, jam res nova erit. Scis, quæ ante litteras fuère, à litteris commendationem originis suæ expectare non posse. Noti- tiæ itaque rerum, quam à parentibus per manus accepimus, semper, & ubiq; fuit magna æstimatio, quæ cùm etiam virorum gravium fuerit, in venera- tione quoque esse debet. Brevem ita- que statuæ Aniciensis narrationem, paucis absolvo.

Descen-



Descenderat in Ægyptum cum reliquijs Juda Jeremias , popularibus æquè suis, ac ipsis gentilibus Ægyptijs non inutilis Propheta : apud quos tamen fructus labori non respondit, etenim licèt , docente Jeremia, viderent Ægyptij, deos suos ligneos & lapideos nec videre, nec intelligere, nec nisi solâ figurâ à cæteris lapidibus differre; doctas tamen majorum fabulas secuti, necquidquam reclamante prophetâ, deos esse opera manuum suarum crediderunt. Quid ageret ergo Propheta cum tam pertinacî ignorantia? Idolorum per Ægyptû universam casum, vnâ cum adytis templisque vaticinio non frustra contempto, prædixit (a) tunc futurum, cum Virgo Filium peperisset, ac ne vnâ cum verbis rei quoque tam portentosæ prædictionem ulla unquam deleret oblivio , statuam è ligno , quæ Virginem unâ cum filio referret, Ægyptijs reliquit: qui statuâ
diu

diu in adytis templisque religiosè custoditam, postea ad musæa regum Ptolomæorum transfulerunt; & ut credibile est, è musæis regijs, Christianorum templis importata, sæculis aliquot cultum, quem merebatur, accepit; dum tandem excisâ cum templis Christi fide iterum vel abjecta, vel abscondita inter paganos sæculis aliquot lateret, expectarétq; (b) S. Ludovici regis Galliæ, cui destinabatur, in illas terras cum exercitu advêtum, cui pro spolio, & tam periculosi itineris præsidio esset. Rex anno 1253. ex Oriente redux Anicium cum statua ingressus, Numini pro reditu, utcúmque felici, gratias egit, statuámque in templo religiosè deposuit. Fuit Basilica hæc sub Virginis Deiparæ assumptæ titulo jam ab anno 225. non incelebris: colebatur in ea Virginis statua, manu altera JESVLM, alterâ sceptrum tenentis: (c) in cujus locum, ubi hæc, de qua dixi, statua

statua successit, auctum unà cum cultu etiam templum est, ita; ut hodie inter thesauros & cimelia Galliaè habeatur, (d) & regum Asylum dici mereatur.

(a) Traditioni huic antiquissima favet auctor non ignobilis Comestor, qui capite de descensu reliquiarum Iuda in Aegyptum, & obitu Jeremia memorat, S. Prophetam prädixisse Aegyptijs, templorum cum Idolis ruinam tunc expectandam, cum Virgo esset paritura: atq; hoc ipsum Virginis simulacrum cum in finem Aegyptijs tradidisse, ne dièti sui periret memoria. Porro servatam diu in adytis & templis, tum in musæa regum Ptolomeorum translata fuisse. Auctoritatem auctori facit, non solum perpetua & constans fama, uti & veterum tabularum monumèta, sed & ipsa statua, sive materiam spectes, sive figuram. E lignis sethim facta creditur, alio enim si è ligno esset, jam dudum illud caries prodi-

prodidisset. Figuram statuae, formamque si consideres, vultum tingit fuscus, sed adeo vividus color, ut hodie inductum iures. Delectantur hoc colore, ut scis, Aegyptij, & vel ipsos deos suos tunc pulchros credunt, quando vident sibi similes, id est, fuscos. Vestis tota ad morem composita est Iudaicum: sedet Virgo, gremio puerulum sedentem sustinet, perinde, ut cetera antiqua imagines, quarum fortassis nonnulla ad huius formam effigiatae sunt. Ex his una credi potest Carnotensis, quam Druides Virgini pariturae plus uno ante Christum saeculo statuerunt.

P. Athanasius Kircher Societatis IESU anno 1634. inscriptionem quaedam mihi Roma ostendit, qua neminem adhuc repererat lectorem, ne dum interpretem. Depinxit eam quidam Pater Ordinis S. Francisci ad pedem montis Sinai, ubi exigua rupi non indecore incisam reperit, eo ipso in loco, ubi creditur visus à Moyse rubus ardens incombustus. P.

Athana-

Athanasius ita scripturam legit, ut ab Orientalium linguarum peritis non sine admiratione approbaretur lectio; quæ hunc sensum dabit. DEVS concipere faciet Virginem, & ipsa pariet filium. Hanc inscriptionem, ait, & probat P. Athanasius, sive à Jeremia, sive à quopiam alio, tempore captivitatis positam, ex prophetia Isaia. Rem totam fusè in suo prodromo Coptico typis Roma vulgavit.

Hinc conijcias rubum ardentem incombustum jam ab ijs usque temporibus MARLE virginitatem præfigurâsse. Placeat hîc subjungere magno labore, nec minore ingenio, elaboratum Virgini paritura, non mutato carminis genere, atque eodem etiam numero versuum retento anagramma. Auctori, quia me latet, ex animo precor, ut fruatur labore suo, ubi est, & laudetur etiam, ubi non est.

ORATIO

ORATIO PECCATORIS
AD DEIPARAM.

ALMA Redemptoris Mater, quæ
pervia cæli
Porta manes, & Stella maris, succurre
cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ
genuisti,
Naturâ mirante, tuum sanctum
Genitorem.
Virgo prius ac posterius, Gabrielis
ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum mi-
ferere.

RESPONSIO DEIPARÆ
AD PECCATOREM.

ANAGRAMMA.

NE metuas, quamvis cursu per-
nice procellæ
Nutat, & irrugit spumosa navis in-
undâ,
Téque tuâmq; ratem placato fidere
ducam,

Clarum.

Clarum lucis iter curres, cita prora
volabit;

Errores pelagi retegam, miserebor
egeni.

Euge meos portus intra, sum ripa
salutis.

(b) *Ex Ægypto Anicium ab aliquo regum Francia allatam, communis est omnium, semperque fuit sensus. Ita rem affirmant veterum memorabilium Latine scripti codices Aniciensis Ecclesia, quas citat R. P. Odo de Giffey lib. 2. c. 2. hist. Anic. Sic Carolus VII. in aliquo suo edicto, quod anno 1440. in Ecclesia Aniciensis gratiam edidit, ab uno majorum suorum sancto rege hanc Virginis effigiem allatam asserit. At cui nisi S. Ludovico adscribendum hoc donum? quod arbitrantur plerique omnes. cum jam dicto R. P. Odone, cum omnia, que de donatura huius imaginis in chronicis Aniciensibus habentur, ei aptissime conveniant. 1. Vocant sanctum, at nul-*

F lus

bus præter Ludovicum IX. legitimâ au-
 thoritate in SS. album est relatus. 2.
 Fœdus dicitur inisse cum Sultano E-
 gypti, mansisseque tres annos in peregrina-
 tione sua, quod de Ludovico sancto, ve-
 rum esse historia peritū neminē latet, an-
 no quippe 1250. profectus, redijt anno 1253.

(c) Vt in Capituli sigillo subscriptio-
 nibus clientelaribus à Sausserando, Vss-
 nij regulo, factis depingitur. (d) Verè
 dici potest non modo populorum, sed etiã
 regum Gallia asylum. Graci anno 1502,
 terra marique V. Aniciensis opem con-
 quisivère. Accessère Itali frequentissimè.
 Hispani saepe sapius. &c. Hæc ex prædi-
 ctis AA. & M. S. codicibus excerpta
 ad me misit R. P. Antonius
 Savigniacus R. C. Tu-
 ronensis.



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



X.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
CARNOTENSIS.

CARNOTENSIS statuae verè prodigiosæ memoriam celebrare, nequeo, nisi per honorificam quoque Druidum mentionem faciam. Fuere Druides apud Gallorum populos, quod apud Indos Brachmanes, apud Persas Magi, in æstimatione non mediocri; nam & sacris præesse iussi sunt, & regibus cõsilia dare Persicis legibus non inferiora, ut quibus repugnare non liceret. Certo anni tempore Carnuti, quæ provinciæ Lugdunensis hodie civitas est, confederunt, ac (A) comitia celebrârunt. Vnde & oracula & leges in regni bonum prodirent, nunquam felicius, quàm cum Virgini Pariturae decreverunt statuum. Posuere olim Athenienses aram Ignoto Deo, è quâ notus in Judæa Deus illis quoque, prædicante Paulo, innotuit. Hi, quos dixi

Druïdes, divino quodam Numinis (b) afflatu, rerum, ut puto, futurarum nō omnino nescij, añis ante Christum natum plus centum (c) aram in spelunca subterranea tunc non magnā erexere, aræque statuam imposuere sculptilem. Sedet Virgo in exedra, atque, ut Reginam esse scias, coronam habet in capite; ut Matrem, Filium sustinet gremio. Titulū statuæ apposuit Druïdum Pontifex VIRGINI PARITURÆ, & ne sine ritu poneretur, adstitit Carnotensium rex Priscus.

Jam populi accursus, & Virgini se commendantium turba locum fecere celebriorem. Colebatur, quæ nondum erat, & jam, priusquam esset, deliciae humani generis habebatur; ut quæ neminem à se tristem dimitteret. Miriquid memorem! quæ cum quotidiana in plebe essent, nova jam non erant. Illa calamo digna credidère scriptores, quæ regibus obtigerūt. Regis Mont-

leheria-

leheriaci filius, nescio, quo casu, aquis suffocatus, donis oblati, & precibus ante ipsam statuam fufis, redijt in vitam. Pater salute filij tam portentosa liberalis in statuam factus, dona dedit rege digna. Ipse loci dominus rex Carnotensium & Druidensium Priscus, turpe ratus vinci ab extero in colendâ Virgine Pariturâ, rem fecit, cujus nec exemplum habuerat inter Gentiles, nec imitatorum facilè habiturus erat inter Christianos. Regni totius hæredem scripsit VIRGINEM PARITURAM: quod & post eius mortem depositi jure devolutum ad Druidas, & plus integro sæculo velut è Virginis pariturs fidelissimis curatoribus conservatum est, donec à S. Petro Savinianus & Potentianus primi in Galliam Apostoli mitterentur: qui peragrata parumper Galliâ, ubi Carnutum pervenêre, atq; ea, quæ de Virginis Sacrario dicebantur, inspexêre; vivere Virgine etiam-

num asseruerunt Jerosolymis; Filium verò, quem peperisset DEVM, hominū bono mortem obiisse. Non difficile fuit in Virginis cultum proclivibus etiam Filio Virginis fidem habere. Itaque missis quàm primùm legatis, Virgini regnum Carnotensium integro jam sæculo jure hæreditatis debitum obtulere, & Dominam Reginamq; Carnotensium appellavere. An Virgo rescripserit, non habeo dicere; læto animo excepisse legatos, donationem acceptasse, promisisse tutelam; quin & quandòque se Carnoti Dominam (d) vocasse, ab antiquis traditū creditur. Ipsa illa statua in hodiernum usque diem in honore est, & verò etiam honorem, quem accipit, meretur clarissimis beneficijs. (e)

(a) *Cesar l. 2. de bello Gallico.* (b) *utique ex Aegyptijs aliquid intellexerunt de Virgine paritura, ut supra memoravi*

moravi in B. Virgine Anciensis. (c)
 Ita habent septem, vel octo codices ex ta-
 bulario Ecclesie Carnotensis extracti; &
 speciatim antiquum chronicon latinum
 regnante Ludovico sancto, Francia rege,
 jussu Matthæi Episcopi Carnotensis in
 Gallicum è Latino partim versum, anno
 1262., quæ omnia summâ curâ evoluisse,
 contulisseque inter sese auctor Rovillan-
 dus profutur. Videri etiam potest vir
 nobilis litteratura Chassanius in catalogo
 de gloria mundi parte duodecima n. 17.

(d) Guilielmus Brito rerum à Philip-
 po Augusto gestarum laudator, lib. 2.
 sic canit.

Quam quasi posthabitis specialiter
 omnibus unam

Virgo beata docet Christi se Mater
 amare,

Innumerabilibus signis gratoque
 favore

Carnoti Dominam se dignam sæpè
 vocare.

(e) *Enitet insigni opere Ecclesia spelunca sancta à Fulberto superstructa, Virginique in calum assumpta sacra, plumbo tecta. Sacella habet triginta novem, Canonicos septuaginta duos, aliósq̄ue Sacerdotes innumeros. De illa plura legere est apud Bonifacium l. 2. c. 1. in hist. Virg. apud Miram de Collegijs Canonico. apud Rudolph. Botereum in Carnoto. Summa semper huius Ecclesie auctoritas fuit. Anno 1432. Carolus 7. postquam Carnotenses, qui diu ab Anglo steterant, in amicitiam suam recepit, in diplomate, quod Lochia anno eodem dedit, sic loquitur. Quod in honorem gloriosæ Virginis Matris condita ante Christum incarnatum, quódque in ea Virgo sanctissima antequam nasceretur præcipuo honore culta fuerit, &c. Deinde hanc speluncam, B. V. dicatam à Gentilibus, conversam in Ecclesiam Christianorum habetur ex Martyrologio Domini du Snassay ad diem 31. Decemb. his verbis.*

verbis. Senonensium verò Episcopus Potentianus missus à D. Petro Aposto-
 lus Aurelianensium, Carnotensium,
 Druensium ac Parisiensium, Spiritus S.
 ardore impulsus Carnutum advolat,
 divini splendoris gerulus, plebémque
 Pariturae Virgini ex avita traditione
 devotam in fidem eius partus suscipi-
 endam cõperiens, verbi divini ex Vir-
 gine incarnati mysteria felici ore edo-
 cet, expiat lavacro salutis. *Adjũgo ver-
 ba Breviarij lectione tertia.* Construxit
 igitur Basilicam beatus hic Artistes
 consecravítque : in cuius rei memo-
 riam celebratur anniversarius dies 17.
 Octob. cõsecratae à D. Potentiano Ec-
 clesiae Carnotensis, &c. *Qua tanto sem-
 per apud omnes fuit in honore, ut Virgi-
 nis thalamus camerave antiquitus fue-
 rit nuncupata. Hinc Ioannes Gallia rex
 solennes litteras dedit, qua adhuc in ta-
 bulario eiusdem Ecclesia servantur, qui-
 bus decrevit, ut omnes Capituli Carno-*

tensis lites dirimantur in senatu Parisiensi. eò quòd Ecclesia Carnotensis camera sit Virginis religiosissima. Certè quantum hic locus sibi cordi esset innumeris pane miraculis patefecit Regina calorũ potentissima. Ita Fulbertum quinquagesimum quartum Episcopum, cùm sub annum 1016. igneo quodam, ac insanabili morbo decumberet, piissima Mater lacte suo purissimo recreavit, virèsque integras clienti suo tam mentis, quam corporis restituit, ut testantur auctores celeberrimi Guill. Malesberiensis lib 3. de gestis Anglorum, Christianus Maffaus, Demochares aliique. Vnum ex omnibus recenseo. Indusium B.V, quòd unà cum imagine Carnuti religiose asservatur, Carolus Magnus ab Irene Imperatrice Orientis dono accepit, & Aquisgrani deposuit. Carolus Calvus illud Carnutum detulit. De hoc Genebrardus in Chronic. lib. 4. ad ann. circiter 884. ex Gaguino lib. 5. aliisque melioris nota AA. sic loquitur

quatur de fugato Rollone Normannorū
 Duce à Gancellino 47. Carnotensium
 Episcopo. Carnotensis Episcopus, inquit,
 indutus camisia interiore B. Virginis
 magnam edit Normannorum stragem.
 Hinc interula facta ad eius camisia san-
 cta formans. Codices Ecclesia Carnoten-
 sis referunt, similes interulas dono datas
 Richardo regi Anglia: ab eo indutas fu-
 isse summā pietate, licet inimicissimus
 esset Philippo regi Francia. Deniq, Gui-
 lielm. Brito supracitatus, antiquus au-
 ctor, his versibus illam B. camisiam ce-
 lebrat.

Cujus & interulam cuncti veneran-
 tur ibidem,

Qua vestita fuit partum cum pro-
 tulit agnum,

Qui mundi peccata tulit, &c.

*Pra alijs bene rem totam huius statue
 Carnotensis profecutus est Rovillandus in
 sua parthenica, seu hist. Eccl. Carnot.
 c. 4. & refertur ab Hippolyto Marra-*

vio in lib. de Antistitib. Marianis in S. Saviniano. S. Petri discipulo.

Hanc narrationem Auctōrib. impres-
sis & M. scriptis antiquis confirmatam
misit ad me R. P. Antonius Savigniacus
R. Coll. Turonensis. Tanta porrò Gallorū
in Virginem Deiparam fuit religio, ut
cum Iudæo in B. Virginem blasphemo
Aquis sextijs vivo detrahenda cutis es-
set (quanquam synagoga undecim mil-
lia librarum regi Sicilia Renato solven-
darum obtulerit) nobiles quidam Pro-
vinciales spontaneam operam & feralem
personati obtulerint, & carnifice specta-
to- re è theatro, Iudæo cutem blasphemam
detraxerint. Petrus Matthæus

de obitu Henrici IV. anno

1610. pag. 476.





XI.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
ARDILLIENSIS
AD SALMVRIVM.

Triumphat hîc inter hæreticæ impietatis sectatores acerrimos Salmurienses, & inter fœdam Prætendentium undique collectorum etiam ab extrema Anglia colluviem, Diva Virgo virginum, Regina purissima: erga quam omnium orthodoxorum pietas in suburbio Salmurij ad fontem Ardilliensium, ut vocant, exiguis cœpta initijs ad nostram ætatem immensis prope miraculorum accessibus adolevit. Anno 1454. ut ex editis vrbani Exactoris rationibus constat, in communi civium cætu decretum est, ut ære publico extrueretur fornix, sub quo confluenti multitudini daretur Virginis imago conspicienda. Icunculam potius dixeris: nam hæc statua lapidea

exiguæ molis admodum est, sedentemq; exprimit Deiparam, quæ Filium è cruce demissum gremio fovens, brachium alterâ manu, alterâ caput, juxta quod angelus astat, perâ mäter sustinet. Decreti autem causa hæc fuit. Excolebât terram juxta fontem Argilliensem (vulgus Ardilliensem appellat) colonus quidam indigena: qui effodit fortè hoc, de quo loquimur, Virginis simulacrum, secúmque detulit domû: sed novum hospitium dedignata Virgo redijt in agrum: postridie ibidem, attonitus agricola reperit. Verum nequa fallaciæ suspicio posset oboriri, iterum domum relatam loco recondito industriè occultat: sed postero die eodem iterum in agro imago reperitur, umbræ domesticæ impatiens. Vagatur itaque fama prædicante prodigium colono, dúmque ab ijs, ad quos pertinet prodigium, rite ad examen vocatur, jam ingens multitudo novâ

mira-

miraculorum patratorū famā excita omnem latè viciniam implevit. Illud quoque memorabant, fontem Ardillensem, jam dudum pellendis morbis celebrem, ab hac utique defossa imagine vires accepisse, cū vix cogitari possit, naturam in unam aquam tot contrariorum morborū remedia congestisse. Factum itaque è congestis repentè pecunijs sacellum, continuis accessionibus auctum. Denique etiam nostris temporibus in Basilicam excrevit, nunquam hucusque vel aquarum, vel miraculorum fonte exhausto. Ipsa statua sæpius, vel moveri loco non potuit, vel mota mox redijt. Tanti est, colere Virginem, ubi ipsa vult. Ita ad me P. Antonius Savigniacus R. Turonensis ex historia, quam Religiosi Patres Oratorij Jesu institutionis Franciæ edidere.

XII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
TABVLARVM
MONSPELII.

STATVA hæc Virginis Deiparæ, unde tanta profecta sunt prodigia, è nigricante ligno confecta, Matrem exhibebat stantem, & Puerum JESVM cubito fulcientem. Hęc ne progressu tēporis fatisceret; in argentea icone, eiusdem quidem formæ, sed staturam humanam æquante, inclusa diu latuit; dum denique ab Antimarianis Calvinistis templum omnino dirutum, quæque in eo erant antiquitatis monumenta, in prædam data, aut flammis sacrilegis tradita miserè perierunt: ipsa quoque statua in hunc usq; diem inventa non est. Originem statuæ invidit nobis antiquitas. Tabularum titulum, miraculorum, & monumentorum incredibilis copia fecit, **Ædiculam**



Digitized by Google

lam fecêre Virgini virginitatem perpetuam professæ duæ S. Fulciani Lædovenſis præſulis forores, quæ demû in amplam auguſtâmque excrevit. Basilicam. Porrò tanta Divæ huius tutelaris vis fuit in perſanandis morbis, ut (ſi Cæſario credimus) feriales ab arte ſua medici lucra ſibi deperire palàm quererentur, & indignantes aut certè indignantibus ſimiles, quibuſcunque morbis implicitos ad communem hanc omnium morborum medicinam identidem amandarent. Miſit illuc dona Iacobus Aragoniæ rex, quæ ſalutem acceptam teſtarentur. Hodie Monſpeliennes audent ſibi promittere Virginis auxilium nullâ non horâ, cum opus fuerit, adfuturum. Leget curioſus lector in ſacello conſulari hanc Epigraphen,

Virgo Mater natum ora,

Ut nos juvet omni hora.

Siſte parumper lector, & exorandæ
Virginis

Virginis unum alterúmve ritum novum (quia antiquum, & vix memoriæ superstitem) intellige, quem tibi elementa duo ignis, & aqua porrigunt. †

Anno à partu Virginis millesimo trecentesimo decimo tertio longa siccitate Monspeliensis ager pene totus exaruerat, jámq; expectabatur, quæ diuturniorem cæli æstus subsequi solet, fames, aut pestifera lues; cùm piorum mentes subjct cogitatio, **MARLE** gratiarum fonti promptum esse aquis profuturis aridum cõspergere solum, si rite invocetur. Consules itaque, ut patriæ consulere, adjunctis operarijs campestribus ex æde D. Firmini cum clero atq; univèrsa plebe procedunt supplicantium ritu, ac D. Virginis **TABVLARVM** templum ingressi, post fufas rite preces, **MAIESTATEM ANTIQVAM** (sic enim antiquam è ligno Deiparæ statuam, quam suprà descripsi, nominabant) magnâ pompâ ad Lædi fluminis

minis vicini ripam deferunt, eamque (non te piæ antiquitatis ruditas terreat, lector) aquis fluminis perfundūt, iterumque cęlesti gaudio ipsi perfusi reportant, locoque, unde acceperant, restitunt. Placuisse non impium ritum, testatus paucas post horas est imber cęlo delapsus largissimus, quo & fata omnia ultra desiderium recreata, & timor famis pestisque depulsus est. Ita per aquas à Monspeliensibus exorata Virgo est. Iam quomodo eam accenso igne exoraverint intellige.

Anno millesimo trecentesimo quadagesimo octavo, quo pestis univrsam pene orbem afflavit, gravissimè conflictati sunt Monspelienses. Mensis Majus, Junius, Iulius, totam pæne urbem densatis funeribus impleverunt. Numerati non rarò trecenti, quos uno die vis morbi absumperat. hinc annū illum annum mortalitatis hodięque cives vocant. Iterum festivè VIRGO

TABV-

TABULARVM orata, & exorata est. Consules námque vrbis mænia cerato lino gossipióque circumdederunt, bis mille ulnarum longitudine: quod deinde volvente circum rotâ glomeratum Magnæ Tabularum Dominæ rite oblatum consecratúmque accenderunt. Non tulit cerei huius flammam pestiferæ luis ardor: fractus, & mox est prorsus extinctus.

Adjungo tertium. Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo (prò ter infaustum sæculum!) 25. Sept., interitum vrbi minabantur nubes, tonitrua, fulmina, & cum densissimis imbribus trilibris grando, quæ arbores discerpfit, animalia obrivit, domos multas concussit, aliquas etiam evertit. Consules unicum, quod in tempore occurrit, remedium arripiunt, claves vrbis Virginis ad pedes deponunt: servaret ipsa, quòd suum jam diu esset: imperaret celo Cælorum Domina. Penetrâ-

netrârunt tam ingeniosę precēs quantumvis iratas nubes, suâque virtute stiterunt elementa, non expectatura. è cęlo imperia, quę consules postulâscent.

Tot, tantorúmque prodigiorum ne obliviscerentur posterī (& heu liber ipse interijt!) Monspelienses, ritu cętera non usitato festum diem instituerunt, qui festum Miraculorum Marianorum hodięque appellatur. Cęptum est hoc solemne celebrari anno à partu Virginis millesimo cętesimo octogesimo nono, i. Septembris, instituyente Joanne Montaureo Episcopo. Actę quot annis in tabularú templo solennes vigilię ultimo Augusti ad octavum usq; Septembris, Nascenti Virgini cōsecratum. Superest etiãnum oratio hac celebritate Miraculorum cantari solita: quę quia tantùm non sola hostium Marianorum furori subducta est, non meruit hęc omitti, sic habet.

DEVS,

*DEVS, qui presentem diem in hac
gloriosa V. MARIE Ecclesia miraculorum
tuorum initijs decorasti: tribue quasumus,
ut sicut in ipsa, & per ipsam à mor-
bis curamur in corpore; ita à peccatorum
contagijs liberemur in mente. Per
Dominum nostrum IESVM &c.*

*Narrationem de hac imagine ad me mi-
sit R. P. Benedictus Bennefoy,
Societatis IESV. è Collegio
Monspeliano.*







SABAVDIA.

XIII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
MIANENSIS.

Quemadmodum non infrequenter salutem ex inimicis accipimus, ita non raro cōtingit, ut Deiparæ honor cultúsque per ipsos etiam dæmones, omnia alia cogitantes, non perfunctoriè promoveatur.

Fridericus II. Imperator, toti antè Ecclesiæ gravis, anno demum millesimo ducentesimo quadragesimo nono Concilio Lugdunensi desijt esse tolerabilis; etenim, quod se præterito, in sacri exercitûs Ducem Ludovicus Galliæ rex electus esset, Episcopos ac Cardinales passim in itinere captos, carceribusque conditos docuit, Ecclesiam, pro Imperatore habere Tyrannum. Nec defuère, qui eiusmodi mandatis, ultra

ultrâ quàm juberentur, parerent. Hos inter quidam fuit Joannes Boncicardus: qui licet in contrarias partes tractus, ac Prioratu in urbe S. Andreae Canon. Regularium S. Augustini donatus esset; ferociam tamen nō exuit. Etenim simul ac loci dominus factus est, ejectos per nefas Religiosos ad hoc, de quo loquimur, Deiparæ sacellum, compulit. Hic afflictis rebus opem, poscunt exules, seque Virgini impensè commendant. Vix fusæ preces, vix in cælum elatæ auditæque, cum, inductæ cælo sereno spissæ nubes, noctem tristissimam non sine multorum metu portenderunt. Etenim, vigesimo octavo Novembris horâ post meridiem nonâ, annuente DEO, caco-dæmones partem vicini montis Grenierij emolientes inter fulgura & grandines in ipsum monasterium præcipitârunt. Ita Boncicardus cum suis in prima cœna inter pocula sepultus est.

Nemo.

Nemo piorum fuit, qui hominem lugeret, tot secum innocentibus in exitium tractis. Etenim cum monasterio urbem integram, sedecim pagos, sex parçias, universim sex millia hominum ruina hæc obrivit.

Nec contenti hac strage mali dæmones, montem Grenierium ab imis sedibus eruere tentârunt. At eorum conatibus obstitit Deiparæ, de quo nunc sermo, sacellum; in quo coram Virginis statua dudum jam miraculis clarâ, religiosi, dum fractus illabi videbatur orbis, asylû querebant. Hactenus, nec plus ultra imber lapideus desçvijt. Auditi per aëra horrendi clamores, vociferantium, impediri se, quò minùs omnem cum radicibus evulsûm montem in omnem latè regionem disijciant.


Hodie statuam B. Virginis miraculosam curant in adjuncto monasterio
G. religiosi

*religiosi S. Francisci de Observantia.
Plurima refert historia typis auctoritate
publica impressa: quam ad me misit
R. P. Sebastianus Bartoqui-
nus R. Camberi-
ensis.*



BELGI-





BELGIUM.

XIV.

IMAGO B.V. MIRACVLOSA
CAESTRENSIS.

COLITVR imago B.V. Miraculosa in Caëstrensi pago Casletum inter & Ariam. Septimo, vel ut alij volunt, nono sæculo, navis Anglica tres virgines nobiles in portu Donkercano exposuit, ituras Romam, visurâsque Martyrum monumenta. Facile fuit ignaris, & sine duce in Flandria aberrare à via, quæ, si non continua tunc, certè fraris interrupta urbibus silva erat, Normannorum latrocinijs, Flandriâ paulò antè vastatâ, opportuna. Deprehensæ ab his, cùm nolent, quæ ipsi vellent, jugulatæ vestibûsque spoliatæ sunt, futuræ pabulum feris, si quas hominibus feritate pares silva aleret. Non diu admodum jacuère ca-

G 2 davera.

davera, cum transiens equo nobiliss^{imo}
 (ordinis militaris equitem refert pi-
 ctura) cantum avium insuetum ex pro-
 pinquo audit. Miratur primum: tum
 etiam è servulis unum exploratum mit-
 tit: qui sonum secutus, locum, ubi jacebant
 cadavera, invenit: & mox ad dominum
 visa retulit. Eques, quantumvis utro-
 que oculo orbatus, plus tamen ipso o-
 culato servulo vidit, sacrumque ali-
 quid, & divinum mente concepit.
 Ductus igitur ad locum, sanguine, qui
 recens adhuc è vulneribus flebat, o-
 culos linit, & utriusque oculi usum
 momento temporis recipit. Domum
 reverso Deipara apparet, jubetque in
 loco, ubi post dictam salutationem an-
 gelicam oculos sanguine virgineo vn-
 xerat, sacellum sibi ædificari, sancta-
 rumque virginum corpora reponi:
 id mereri supplicium, quod pro pud-
 citia sustinissent. Structum sine mora
 ab equite sacellum, positaque Virgini
 Deipa-

Deipara statua, quæ tot jam sæculis
 miracula patrat. Atque ut bella non-
 nunquam pietatem accurrentium non
 parùm stiterint, semper tamen reducta
 pace redijt antiqua pietas, cujus mo-
 numenta utinam sæculo superiore
 ignis, quem Geusij accenderant, non
 absumpsisset. Repertus tamen ex an-
 tiquis codicibus unus, qui præter alia
 miracula etiam memorat, non infre-
 quens fuisse, pueros ante baptismum
 mortuos, altarique impositos revixif-
 se. Novem omnino ibi enumerantur,
 qui ab anno 1494. usque ad annum
 1496. revixerunt, adjunctis quoque
 testium juratorum nominibus, & men-
 sis die. Illud præ cæteris memorabile
 est. Anno 1496. 4. Sept. edita proles
 est mortua, totaque die jacuit ad al-
 tare B. V. in Strazele etiam miraculis
 clarâ. Postero deinde die toto ad hoc
 altare in Caestre, demum integro tri-
 duo in sepulchro, cum prolis pater,

Petrus nomine, superveniens, audita filij morte, novâ in Deiparam fiducia, suis manibus filium è sepulchro eruit, iterùmque aræ B. V. imponit. Ilico visus est non obscura vitæ signa edere: nam & manus movit, & pedem attraxit, dum baptismi Sacramentum reciperet: quo accepto, quia vivere desijt, ad sepulchrum reportatus est.

Hæc omnia ex authentico, & perve-
rusto templi codice, à quo pictura quadam
antiqua non discrepant, excerpfit R.

P. Thomas Newble R. Bel-
liolanus, & ad me
misit.



L
à,
it,
i-
n-
a-
ci-
jt,
-
-
-
-



XV.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
CANCELLATA
INSVLIS.

INSVLENSIVM (Belgij è primis
urbibus una est, quam Galli Lille
linguâ suâ vocant) tanta semper in
Virginem pietas fuit, ut septem om-
nino Imagines miraculosas, nec fortè
sine mysterio, Deipara diversis in tem-
plis numeret ipsa in vrbe, decem alias
miraculis quoque celebres in vicinis
circum agro, non nisi brevi ambula-
tione ab vrbe distantes. Hoc nempe
est, favoribus Virginis gratissima ob-
sidione sic cingi, ut extra conspectum
Patronæ suæ nec domi, nec foris con-
sultere pientissimis civibus liceat. At-
que, ut fortissima propugnaculis suis
vrbs, olim cespite murato, tormen-
tis, & quæ præ muris sunt, fortissimis

G 4 pecto-

pectoribus defensa semper sit ; nostra tamen ætate Cancellis velut cataractis hostem anno 1641. ab ingressu prohibuit , ac ne alius fortè, quàm cui debetur, liberatæ vrbis honorem auferret , anno quoque 1645. appropinquante ad mænia iterum, hoste per eosdem iterum, quos dixi cancellos, seu si mavis, cataractas prospexerunt illæsi cives hostem suum, illæsa vrbe, abeuntem.

Tria omnino sæcula sunt cum dimidio, ex quo magno in honore est Statua quæpiam Deiparæ in templo Canonicorum D. Petro Apostolorum Principi dicato. Hæc, quia Cancellis cingitur, Deipara Cancellata à maioribus appellata est. Ad hos, inquam, Cancellos nuper ab hoste cincti cives confugère, Patronæ suæ supplices, cui liberatam vrbem debent. Statua hæc tribus, ut dixi. sæculis cum dimidio, benefi-

beneficiorum copiâ sic incolas acco-
lâsque obruit, ut, quod inter omnia
maximè primum fuerit, unde cætera
duxerint originem (quantum qui-
dem ad me præscriptum est) sciri ne-
queat.

Horruere jam olim mali dæmones
locum, etenim huc, ubi pertracti sunt
energumeni, atque ante Statuam
Deiparæ collocati, ne sibi malè ef-
fet, malè facere hospitatoribus suis
nefarij inquilini destiterunt, eosque,
quos tam gravi servitute presserunt,
libertate donârunt, non ausi præsen-
te Domina servulorum minimo do-
minari.

Hodie nunquam non sunt, qui tem-
plum hoc frequentant, diebus tamen
Sabbathinis & Lunæ celebritas major
est & concursus. Totam urbem, si Ma-
rianam dixeris, nō aberraveris à vero,
etenim ut jam ab antiquo MARIÆ

tota fuerit dicata, nostro tamen ævo
 majore, quàm unquam, pompâ Dei-
 paræ dedicata sic est, ut & nomen sibi
 Magistratus à Virginis titulo pia am-
 bitione assumpserit, & se CAN-
 CELLATVM dixerit. 28. Octob.
 eo anno, quem Lemma hoc Geogra-
 phicum posteritati loquitur.

B. V. Mariæ CanCeLLatVs fenatVs
 popVLVsq; JnsVLensIs Conse-
 Crabant..

*Ita ad me R. P. Thossanus
 Bridoul.*





XVI.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
MESSINENSIS.

MESSINIS Flandriæ oppidum, est, tribus Insulâ leucis dissitum. hîc loci Virginis Deiparæ singularis cultus principium suum habet à tribus virginibus, quæ, ut rusticæ fuerint, Amazones tamen fuere, ut quæ è prælio, quod eis cum viris militaribus fuit, sine vulnere discessere victrices. Rem memoro, qualem, ni fallor, orbis non vidit universus, ex quo gentes esse cœperunt.

Exiêre simul cum pecoribus in campum puellæ tres daturæ pascua animalibus. Rusticæ quòd fuerint, & agresti in casa educatæ, virtus non horret, quæ sub sordido palliolo non rarò securior est.

Vide lector virtutem, & stupe; vide præliandi modum, & imitare. Apertus

G 6

campus

campus est : puellæ non nisi tres : tenera, & timida ætas, ac sexus, nec ulla sperantur auxilia. Superveniunt hostes, & quia milites sunt, ad multos passus conspecti jam metû incutiunt, qui etiam in constantem virum, nê dum fæminam, cadere possit. Tres eorum omnino sunt. Hi viciniore facti prælium puellis indicunt: in quo, quia nec ipsi quidem puellas vellent esse timidas, ponere jubent metum, ut qui non vitam, sed honorem tantùm ablaturi advenissent, tres Martes contra totidem Veneres. Stupuerunt puellæ, ut quæ tam crassos amores nunquam vidissent, quantumvis rusticæ essent: & jam cum militibus ipsas vrbes odisse cœperunt, in quibus plebs tam inconcinnè rusticaretur. Dixere, quæ Virgines debent solentque: irent sanè, si viri essent, ad viros; si milites, ad castra: huic bello, quod ipsi pararent, nullam esse salutem, nec pacem acceptaturas,

turas, quam ipsi offerrent. Honorem si desiderarent, apud viros quærerent: & honori fæminarum, ipsis non profuturo, desinerent insidiari: ubi vim illaturi essent, & è militibus futuri lenones, prospecturos è pago amicos, & præustis sudibus suasuros fugam. Circumspectère parumper milites, num. quæ Pentesilea hæc jactaret, auxilia essent metuenda; at ubi vacuum hominibus campum vidère, & neminem, qui sive victas laudaret, sive vituperare posset victores, agrestius deditio- nem urgent: illæ majore verecundia resistere, ut homines nō adessent, quos metuerent, DEVM tamen non abesse, & angelos, quibus spectaculo futuri essent. Is, inquiebat una, totus oculus est, cavete, & si clamaverimus, etiam audiet, quia totus auris est: quod si tam Martios geritis spiritus, ut nec superos, nec ipsum, qui tam iniqua punit prælia, timeatis DEVM, inducias sal-

G 7 tem

tem exiguas concedite viri fæminis. Peroravit virginea eloquentia, & vel ab inuitis extorsit petitas inducias. Itaque tres cęlo dilectę Charites in genua prouolutę cęlum suspiciunt, tum Reginam cęli & innocentię suę testem, & tanto in periculo Patronam invocant. Ipsa, quę testis in cęlo fidelis esset, videret, quę in totius cęli conspectu jam jam facturi essent hostes, à quibus vix pauca induciarũ mómента impetrássent; cęli Regina, terręque Domina cùm sit, auxilium porrigere afflictis posse; Regina virginum cùm sit, virginibus etiam debere: ad adiuvandum itaque festinaret, ni confundi vellet spem in se sperantium, & eas perire, cum quibus multorum spem perire necesse esset. Hucusq; in subitibus casibus remedium unum unicũque apud omnes fuisse creditum, interpellássent Reginam virginum. Quod si ipsę, quę virgines essent, negligenterentur,

rentur, creditum posthac iri, neque DEO, neque Matri amplius ea in æstimatione esse agrestes, & pastoritias animas, qua fuissent, quando primi, necdum notum in Judæa DEVM salutarunt pastores: se quoque pastoritiam agere vitam, & operâ, & numero illis pares, innocentiam certè non inferiores, paria mereri posse. Si præterirentur, non probaturos Angelos Reginae suæ novum factum, miraturas virgines, quotquot inter sidera cælo insertæ micant, quæ nunquam eam in similibus periculis frustra invocassent. Jamque finem non profuturæ orationis ægrè expectabant milites, cum ecce postulatum in tempore auxilium!

Quid expectas lector? fulmina, quæ MARIA Tonantis Mater mittat? non solet, quando & ipsi quandoque Filio fulmen extorquet. An dæmones, qui impios abripiant? vellent, si possent. Intellige lector, & mitissima cæli Reginae

ginæ consilia miraré. Quis crederet,
sic futurum bene puëllis, ut militibus
esset non malè? Ne te ulterius deti-
neam, néve negligas tantum porten-
tum, ipsas puellas intuere: & ecce,
ut sensim, & sine sensu dehiscente sub
pedibus cespite terra orantes in gre-
mium suum recipiat! Jam cingulo
tenus demersæ sunt, jamque non nisi
capita, & summæ precantium manus
cum humeris eminent, jam ipsa sub-
fidunt capita, sic coëunte cespite, ut
mutasse vices elementa credas, quan-
do aliter aqua demersas recipere ne-
quivisset. Nec defuit timor, & quidem
salutaris, qui milites plecteret, quibus
diva Virgo insontes eo malo subtra-
xit, quo ipsi fontes abstrahi debuissent:
etenim & ipsi sanioribus consilijs hoc
portento imbuti, quæsiere poenitentia
locum inter feras, feritatis suæ simul
& foeditatis poenas daturi. Relictâ ita-
que apud vicinos totius eventus me-
moriâ,

moriâ, silvas petière, atque ex militibus facti Eremitæ, dignos fecere fructus poenitentia.

Fuit, cùm anno 1027. Balduini Flandriæ Comitis cocus, cui Landricō nomen fuit, jam dudum regio morbo afflictus, dormiens à nescio quo moneretur, in silva tanti mali remedium fore, ducereturque interno, quem Superi indiderant, instinctu ad hunc, de quo dixi, locum. Vbi, cùm vix parùm viridi super cespite obdormivisset, repente evigilans abijisse malum sensit; & nullum ibi pietatis vestigium conspicatus, quærere institit apud vicinos. Ex quibus, ubi intellexit, habere traditione perantiqua, defensas à Virgine Deipara tres virgines, quas terra absorpsisset; redux in Galliam patronæ suæ, quæ expertus esset ipse, quæque ex alijs intellexisset, refert. Adelhais (hoc Comitissæ nomen erat) ipsa confestim è Gallia in Flandriam proficiscitur, atque

atque ubi, quæ famulus retulit, ab indigenis confirmata sunt, submoto reverenter cespite, terræ aliquantum erui jubet. Et (quæ Superum est providentia) capita virginum cum humeris & summis manibus conspiciunt, & remotâ demum cautè omni glebâ, eo prorsus situ gestuque virginum cadavera reperiunt, quo eas olim terra receperat. Tantum, quod terra tamdiu absconderat, portetum, liberales fecit, quotquot spectatum venerunt, vel acolæ, vel peregrini, è quorum liberalitate non difficulter structum est templum, ossibus, in quibus olim tam pretiosæ vixissent animæ, decentius custodiendis; quanquam & templi, & monasterij, & ipsius quoq; oppidi fundatrix credatur ipsa Comitissa anno à partu Virginis millesimo sexagesimo, quo hæc, quæ dixi, contigere: quæ templum Deiparæ dedicari voluit, & filio Roberto Comiti Flandriæ pietatem,

Maria-

Marianam testamento reliquit: qui anno millesimo octogesimo, quarto nonas Febr. magnis templum hoc privilegij auxit: quia visis (inquit) tot miraculorum signis in eodē loco placere evidentissimè comperi aliquid ibi omnipotenti DEO. Ipse Hierosolymæ Patriarcha Guilielmus Adelhaidis Comitissæ propinquus S. Crucis partem Virgini Deiparæ dono misit. Placuisse donum Deiparæ constat: nam ter noctu Comitissæ per somnium visa imperavit, ut hoc S. Crucis lignum publico exponeretur, & annua supplicatione circumgestaretur: quin ipsam, per quam duceretur, viam filo serico rubro designavit, quod summo altari alligatum sic Deipara evolvit, ut per quas placebat vias circumductum, eidem altari religaret glomeris finem, à quo traxerat principium. Rem totam Comitissa, institutâ Romam peregrinatione Alexandro II. Pontifici
ape-

aperuit, & processionis annuæ confirmationem obtinuit 14. Septemb. ipso festo Exalt. S. Crucis.

Historia huius narrationem Gallicâ linguâ Ipris impressam accepi à R. P. Aegidio Mese.





XVII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
TVNGRENSIS.

DVDVM est, quod Germaniæ destinatus Maternus Apostolo Petro se junxerit (a) quem ut sine dolo discipulum vidit orbis Magister, & virtutem afferre cum fide sinceram; Germaniæ hominem deberi, docente cælo, didicit, quæ virtutem sub hac non alia veste veneraretur: huic credituros præ alijs, qui fidem hæctenus, si non veram, certè sinceram semper coluissent. Missus itaque in Germaniam à D. Petro Maternus, jam sanctus, jam Apostolus, ad Tungros venit, ibiq; cum religionis fundamētis jecit quoq; fundamenta colendæ Deiparæ. Nam templum ei (incertum, an vivæ) ibidem statuit. Quidni enim id honoris haberet Dæi Matrî, qui totus Maternus erat, quando jam Filium ejus templo

plo apud Germanos honestaverat, nō
 secus ac apud Alexandrinos Marcus,
 apud Gallos Savinianus, quōdque
 apud Ephesinos præstiterunt Joanni
 etiamnum vivo (b) primi Christiani?
 Præfuerunt post Maternum justo or-
 dine Episcopi complures: jamque cen-
 tum & amplius templa Tungrorum
 pietas extruxerat, quando Hunni, re-
 ctore S. Servatio, alias quæsituri sedes,
 terram ocepârunt. Prævidit excidiū
 antiquæ vrbis providus pastor: itaque
 maturè suis prospecturus secessit, &
 Trajectensem vrbem diœceseos post-
 hac caput esse jussit, quando diu am-
 plius Tungrensis vrbis esse non posset.
 Hunni integro ferè sæculo terræ Tun-
 grorum infesti, denique sexagesimo
 quarto post S. Servatij obitum, id est,
 quinti sæculi anno primo, vrbes ita ex-
 ciderunt; ut meritò hodie quæras, ubi
 Tungrum tanti nominis vrbis olim ste-
 terit. Sunt, qui centum templorum ve-
 stigia

stigia etiamnum deprehendi memorent (c) ita prima Germanæ Religio-
nis incunabula interiêre.

Et verò ut muri apud Tungros ita
perierint, steterè tamen semper, ac
etiamnum stant fundamenta muro-
rum, prisca illa in Virginem pietas.
Habent enim Tungri, unde propemo-
dum cum Italia certent de Laureto,
statuam videlicet Virginis Deiparæ,
eum in locum, à quo nomen accepit,
ab angelis delatam. Est illa è ligno
gypsato, nec pedes duos excedit, faciẽ
habet oblongam, colore, qui ad casta-
neum vergit, oculis amæniss. Ipsa qui-
dem mater in exedra sellaria, tãquam
in curru triumphali, sedet: filiolum
verò non brachio, sed sinu gestat. Hãc
statuam anno 1081. divinitus allatam
esse, nemo est, qui nesciat; uti nemo
quoque est, qui sciat, unde allata sit.
Si unam ex antiquis dicerem, quas
unà cum templis tot ante sæculis Hun-
ni

ni afflikerunt; imò si ipsam illam esse dicerem, quam S. Maternus Virgini statuerat, sine ullius scriptoris auctoritate id assererem; non tamen sine magna veri similitudine: nec difficulter Mariophilo persuaderem. At relinqua mus antiquitati secreta sua, tenebris nunquam profuturis recondita; & huius, quæ hodie in veneratione est, statuæ prodigiosum adventum memoremus.

Habuit sex ante sæcula locus, de quo loquimur, nobilem pro sapiâ Toparchâ: Hectori nomen: parentes indidère. Et, ut videas, quàm sepe rebus sua nomina conveniant, hunc scito esse Marianum Hectorem, cui forte parem mundus Achillem ætate illa dare non potuisset. Huius ætatem jam per se senescentem triennalis ægritudo afflixit; effusa nimirum oculis cecitas propè exitialis. Sic nempe honoratur, quem Divus honorare vult. Ita ad fa-
vores

vores preparantur dilectæ cęlo animę.
 Huius præ alijs hortum, arci continen-
 tem, elegit Deipara ; nec aliud ex-
 pectabatur, quàm dies tanto portento
 dignus. Is erat Februarij secundus, quo
 Filium MARIA Jerosolymam Patri of-
 ferendum deportavit, cuius pervigi-
 lium cum tota dōmo patrem familias
 piè celebrasse, atque ad ipsam sequen-
 tis diei festivitatem se parasse, nemo
 credo dubitabit, qui, quę sequuntur,
 lecturus est. Jam nox media, vel ade-
 rat, vel imminebat ; cum splendorem
 familia in horto vidit non ordinariũ,
 cuius testis cęcutiens Hector esse non
 posset. Accepit etiam paulõ post splen-
 dor hic, nec è cęlo, nec è terræ ortus,
 incrementum : demum, si de horto ca-
 stri solo intelligas, in plenam usque
 diem ad solis usque invidiam excre-
 vit. Cęleste quid esse, & lucis sinceritas,
 & sensus cęlestis, quo corda intuentiũ
 delibata sunt, non obscure portende-
 bat.

bat. Successit luci odor plùs quàm Sabæus, quia cęlestis, qui & februem glaciem, & noctis rigorem superavit: demum etiã symphonia cęlestis ex longinquo audita: quę ubi propiùs allapsa est, & distinctiùs audiri cœpta, deprehensum est; & lucem, & cum odoribus musicam medio in horto horam integram cum dimidia substitisse, & non nisi mediã post mediam noctem horã in auras abiisse. Repertus in arce est, qui summo manẽ aueret hortum ingredi, & explorare prodigium: qui ubi statuam Deiparę reperit, accitam protinus totam cum hero familiam, muneris divini facit certiozem. Vidit Hectore arcis dominus salutem domui factam; nam & agritudine, quę triennio hominem affligerat, liberatus est, & liberatum ipse se vidit, quia oculis quoque visus est restitutus. Ita comperto beneficio centurionem Evangelicum indutus, & seipso deterior indignum

dignum se exclamat, sub cujus tecto
tam prodigiosa statua hospitetur. Ergo
quàm primùm per accitum è subjecto
arci pago sacrum curionem statuam,
in usq; D. Martini templum Parochia-
le delatam sequitur, illic cultu bono-
que publico decentiùs habendam. At
verò subsecuta nocte eadem, quã pri-
die, horã, eademque luce, eodem quo-
que cantu, odorùmque fragrantia, re-
portata in locum eundem est statua.
Credebatur postulari à Virgine splen-
didior comitatus, quàm pridie habue-
rat. Itaque Parochum secutus populus
pompã pro loci ritu magnificã, jam se-
cundùm, in eandem S. Martini aedem
reducit statuam; eãque Parochus
non sine magna agrestium religione,
in ara collocat. Sed iterum nocte con-
cubiã, iisdemque, quibus pridie cele-
stibus pompis, eademque horã, in hor-
tum redit è templo. Sed etiã tertium
redire iussus manè Parochus statuam

Hi 2. è cubi-

è cubiculo (in quo ex horto deportata tantisper quieverat) pridiano rita, jam tertium templo infert. At verò & ipsa statua tertium templo egreditur, & inter odores cantúsque cælestes in hortum redit. Nemini jam dubium fuit, ambiri à Virgine hortum, quem non cunctanter horti dominus Hector pro templo destinabat. At verò major hæc res visa est, quàm quæ, vel profanis manibus, vel ab uno loci Parocho tractaretur. Itaque Gerardo Cameracensi Episcopo res, ut erat, indicatur. is, ne quid pro vero, quod fictum esset, auctoritate sua approbaret, ausus est præter consuetudinem quartum (vel si mauis quintum) è cælo prodigium petere. Quare missis quatuor doctrinâ virtutèque conspicuis viris tentorium medio in campo tenditur, sub quo pernoctarent. Interea ritu solemnè à castro in templum statua jam quartum deportatur, nemine non expectante

péctante tanti portenti jam quintam
repetitionem. Nec defuêre, qui non
necessario, & nimium scrupuloso exa-
mini obtrectarent. Si fides desideretur,
fidem publico non deesse: neminem
esse in pago, qui non vidisset: quid
clarius optari possit, quando non lip-
pis modò, sed & cæcis res esset visa.
Si fides oculis non haberetur, habere-
tur verbis, in quæ præter loci dominû,
quotquot pagus habet incolas, facilitè
juraturi essent. Sine culpa non esse,
jam quartam fatigare superos. Ergo
omnes omnium oculos deceptos? ergo
omnes falsum jurasse, si cælum pro
paucorum sacerdotum libitu in vota
etiam nunc non descendisset? peritu-
ram præteritorum fidem? orari supe-
ros velle, non tentari. Repertos fon-
tes nò rarè nimia indagazione obstrui,
& sicari sciant, si quidem sacerdo-
tes essent, superâni favores esse de-
licatos, nec & tardè obtineri, momen-

to perdi. Nunc non cogitantibus Tæpius obtrufos tantum non abijci. Quem damna restauraturum, si supervacua inquisitione perennium gratiarum obstruatur fons? Quem revocaturum, statuam, si alias in terras a sportetur? Hæc illi. nec displicere celo, non injustæ querelæ, quia recto ex animo profectæ.

At verò nec præsul cogi, vel poterat, vel debebat, suâ auctoritate tantum firmare portentum, quod nec per se, nec per suos prius explorasset. Mundus, inquiebant alij, totus nunc in maligno positus est: dicit multa, non pauca fingit aurî sacra fames. Lucri bonus odor ut sit ex re qualibet, è sacro tamen ubi venit, Thymiamatis quidam habet, & suavius afflat: jam plus satis hac in re sacerdotes esse infames, ut qui ficta pro veris inter sacros fumos vendere passim credantur. Veritati primum, deinde horum quoque honori

honorì non invitìs superìs consulendum esse, atque ut Tungrenses incolæ cœtum facerent, plerosque tamen rusticos esse, & juris civilis rudes, divini omnino expertes: doctiùs loqui, ubi sermo de colendis agris, quàm cum de colendis cœlitibus instituitur.

Dum hæc ultro citroque fermocinantur, adest hora, neque deseruit cælum quatuorvirùm expectationem; vident enim, audiunt, atq; olfactu percipiunt, quæ jam quater antè visa, audita, atq; olfactu sunt percepta. Quid plura? statua è templo à cœlestibus Genijs decenter accepta inter odores, cantus, lumina, eundem omnino in hortum, eundem in locum importatur. Ipsi quatuorviri, deserto tentorio, secuti præeuntes, auxere pompam. Omnia denique rite Episcopalibus litteris testata, firmarunt rebus fidem, ad posteros faciliùs propagandam. Itaque Hector sine mora hortum suum Virgini

gini obtulit, succisum in fundamenta templi aptavit, fabricam urfit, quam liberalitas incolarum non modicè iuvit, & accolæ, quos fama acciverat, vehementer auxerunt. Hinc in dies aucta pietas in hunc usque diem sincera perseverat, nunquam non miraculis testante præsentiam suam Deiparâ Virgine. Perseverat quoque in hæc usq; tempora annua & nocturna processio, secundâ Februarij, qua primùm de lata à cælestib⁹ genijs statua est. Adde, quod & solenne sacrificium, primâ post medium noctis horâ ex indulto Pontificio cantari solitû, celebritatem nō paulò insigniorem reddit. Hanc imaginem vicini Athenenses præ alijs colunt.

Plures hac de statua scripsere, nonnihil inter se differentes; ego securiora secutus sum; narrationem imprimis, quam mihi perscripsit R. P. Marcus Koscervaux Coll. Athenensis R. Scripsit Gallicè

licè hist. Tungr. Virg. R. D. Georgius
 Huartius eius loci Parochus. Scripsit
 Latino, & elegantistyllo P. Philippus Ser-
 vius Societatis JESU. Scripsit carmine
 elegiaco P. Ioannes Vincartius, eiusdem
 Societatis JESU, in opusculo suo poëtico
 de cultu Deiparae l. 3. n. 14. (a) Ca-
 nis. lib. 5. c. 14. (b) Abdias in
 vita Io. Apost. (c) Locrius
 fol. 461.



XVIII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
SICHEMIENSIS.

DISTAT Sicheonium quinque leu-
cis Lovanio, sex Mechliniâ, no-
vem Antverpiâ, unum Diesthemio,
novem Bruxellis, in cujus finibus me-
dio illinc milliari Belgico collis exur-
git leni fastigio, quem Acutum vocant:
in eius parte verruca seu colliculus
fuit, & in eo quercus, & in hac D. Vir-
ginis affixa icuncula: quæ culta acco-
lis à tali initio fertur. Centum abhinc
annis pastor eo in tractu pascendis o-
vibus intentus repertam, nescio quo
casu, imaginem sustulit, sinûque re-
condidit, certus eam domum secum
auferre, parva enim erat, & privato
cultui opportuna. Sed renuebat ima-
go privatis abscondi laribus, ambie-
bâtque publicum. Itaque opilio omni-
bus repentè membris stupere, & stipitis
instar



instar consistere immobilis, dum villi-
co tardior opilionis reditus suspicio-
nem mali cuiuspiam movit. Quapro-
pter obviam redeunti iturus hominem
offendit in loco, pavidū adhuc, & im-
motum. Villicus ubi rem ab opilione
intellexit, acceptam reverenter ima-
ginem loco suo restituit, & unā cum
servulo, non ampliūs tremente, domū
nullone negotio redijt, & paulò post nar-
ratam vicinis historiam per omnem
latē regionem vulgavit. Non defuēre,
qui narrantibus fidem haberent, lo-
cūque vīferent; nec gratis: etenim
morbis, & præfertim feбри, solemnis ac
pene certa ibi medicina fuit. Sed eve-
nit, ut dicta statua perierit, incertum,
qua vi, quōve casu. Incidit in annum
1580, quo conspici ibi Diva desijt, sed
non coli. Veniebant enim nihilo se-
gnius ad locum, & opem, solatiūque
petebant, & verò etiam non secus ac
antè inveniebant, Sex omnino annis

hæc accurrentium pietas duravit :
 quam cum non sine admiratione con-
 spiceret Sichemiensis quispiam è se-
 nioribus senator, etiam durare inter
 Sicarios, & tela prædonum ; suffecit
 aliam D. Virginis statuam, eamque ar-
 culæ lignæ prioris loco impositam
 quercui affixit. Hinc populi in Virgi-
 nem crevit pietas, & Virginis in popu-
 lum favor ; dum anno 1602. Godefri-
 dus, Pastor Sichemiensis, venerationi
 augendæ facellum è tabulis, opere tu-
 multuario, compegit, avulsamque ab
 arbore imaginē honoratiore loco re-
 condidit. Sed ipsa ligna, ut solet, brevi
 abière in lapides. Etenim augefcente
 celi munificentia, non multò post fa-
 cellum Virgini aliud è lapide, & qui-
 dem secto, lignei in vicem positum est,
 solennique Ecclesiæ ritu ab Illustrissi-
 mo & Reverendissimo Hovio Mechli-
 niensi Archiepiscopo dedicatum, tanto
 hominum è diffitis longè locis cõcurso,
 ut id

ut id quoque inter miranda, si non miracula, censeretur mereatur. Factum hoc est idibus Junijs, die, qui tunc SS. Trinitati sacer fuit, anno 1604. Miracula huius statuæ Lipsij stylo prodiere.

Originem è Locrio fol.
465 accepi.



XIX.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
CAMBERONENSIS.

CAMBERONA nobile & perantiquum D. Bernardi coenobium, in Hannonia, secundo ab Atheni urbe milliari, Beatissimæ Virginis imaginē, origine & miraculis jam dudum illustrem, etiamnum non sine circumjacentium populorum cultu singulari conservat.

Fuit cum anno 1322. Judæus à suis transitum faceret ad Christianos, & Baptismi aquis ablueretur non profuturis (nam fidem simulavit non suscepit) jamque candidatus inter comitis Bergensis hastatos numeraretur, custodiendæ palatij portæ destinatus. Sæpe is viam Camberonensem legebat, relegebátque, nunquam non à Coenobitis hospitio exceptus. Credebatur, ut fit, esse Christianus, ideoque eâ sem-

per susceptus charitate est, qua Christiani solent, debentque. Fuit hic loci in pariete imago ex argilla rubra, exstantis operis, JESVM in gremio Matris adoratum à Regibus representans. Lancinabat impium cor Virginis & Filij honor, multa frequenter cogitabat, nonnulla etiam destinabat; sed presentibus alijs fatale erat perficere cogitata. Fortè solum se, & sine teste videns, bipennem, muneris, quod gerebat, insigne, bis, tève in imaginem vibrat, & argillam foedè lacerat, vulneraturus ipsum cum Matre JESVM, si ferret occasio. Effluxit subito è vulneribus rivus sanguinis: quin etiam ejulatus, clamoresque ex imagine auditi sunt tam clari, ut ad aures eorum pertingerent, qui foris erant in atrio laboribus intenti lignarijs. Accurrit repente uterque (nam duo erant) tantis vociferationibus exciti: rem, ut erat, deprehendunt; conspiciunt etiam hastam

stam sanguine imbutam, & qui eam tenebat, Judæum attonitum, & non parùm timentem. Jámque fáber lignarius securim, quam tenebat, impacturus in iconoclastæ caput erat, redditurus non imparẽ sceleri mercedem; sed ab altero (religioso quidem, sed laico) retentus, graviori vindictæ locum fecit. Volat interim per monasterium fama, accurritur, colligitur sacer sanguis, imago venerationi (sed privata) exponitur. Atque, ut publicæ quoque liceret, actum ab Reverendissimo Abbate non perfunctoriè est. Judæus ad pœnam postulatus, ab utroque foro sententiam aliam non tulit, quàm perbellum hoc inventum esse religiosorum, divitias, & populorum accursus ambientium, Judæum religiosi in visum, sanguinem arte factum, ejulatus fictos. Ita religiosorum dolor incrementum accepit à contumelia, & quidem publicâ, quia à publico illata.

Jacuit

Jacuit Hestinis lecto jam septenniū
 affixus Joannes Flammandus, vir se-
 ptuagenario non minor, & paralyfi,
 non jam tactus, sed omnibus membris
 afflictus, mortem, quam frequenter in
 ore, semper in votis habebat, præsto-
 lans, in dies, in horas. Huic Virgo Dei-
 para se spectabilem in somno sistit,
 quid à Judæo Camberonæ passa sit,
 recenset, jubetque ire Montes, & pro-
 vocato in publicum Judæo honorem
 suum duello defendere, quem nō pos-
 set judicio. Vocat æger parochum loci
 & suum, visa narrat, quid factō opus
 sit, postulat: sed mittere fabulas, &
 somnijs fidem negare jubetur. Sed in-
 stat Virgo nocte alterâ, & severiùs im-
 perat. Atque etiam Joannes Parocho,
 iterum visa, iterum recolit. Sed quid
 mirum, inquit ille, si somnium secun-
 dum sequatur primum, quando & an-
 seres, & grues hoc possunt; si tamen
 tertium rediret, aliter se responsurum
 recipit.

recipit, & abit, tantarum rerum finem
 visurus, quarum nec principium nōs-
 set. nam de re tota toto biennio tan-
 tum temporis intercesserat) ne fa-
 ma quidem illuc loci pervenerat. Ita-
 que tertiâ quoque nocte adstat Virgo,
 Ioannem ad iter animat, imperâtque,
 quod antè, duellum, non sine minis ;
 quæ & ægrum, & cui æger manè recen-
 suit, parochum terruere. Iret itaque
 Camberonam, & siquidem similia vi-
 sis facta inveniret, rem totam aperiret
 Abbati, tum etiam Montes usque per-
 geret, & à Comite Illustrissimo duelli
 veniam postularet, provocarétq; Iu-
 dæum. Surgit itaque confestim è lecto
 Ioannes, & (quod ipse præ alijs mira-
 batur) solus, atque itineri se accingit,
 fortè ad domûs suæ, vel si multùm, ad
 urbis usque portam duraturo ; quò e-
 nim iret paralyticus, quem membra
 malè sibi coherentia non bene porta-
 rent? Ivit tamè, & quia dat Virgo, quod,
 jubet,

jubet, sensit sensim confirmari nervos,
& redire paulatim vires, quas nec ju-
venis habuisset, etiam cum auctario.
Venit itaque pedes Camberonam, ubi
ad amissum omnia visis paria reperit.
Itaque & animus in MARIAM inflam-
matus Flammando cum viribus pristi-
nis sic redijt, ut seipso fortiorem se re-
periret, cum Montes ingrederetur. Il-
lustrissimo Comiti in corona multorum
omnia non sine verborum pondere re-
euset, vulneratam ante biennium,
imaginem Virginis Camberonę, suam
septennem paralyfin, Virginis terna-
imperia, restitutam miraculo cum vi-
ribus sanitatem. Et verò duello, ait,
veritatem asseram, facta à Comite po-
testate, quam, ut faciat, rogo; imò
MARLE nomine impero. Permittitur:
sed nec recusat Iudæus, paratur arena.
Vulgata res ocyùs totam pene cōcivit
urbem ad spectaculum, quo nobilius
ætas illa non vidit. Solis armis pares
fuere

fuere pugiles. Vtrique modica parma ad corpus tegendum, clava lignea ad feriendum. Cetera imparia, senex & juvenis, infirmus & validus, civis & satellites. Causa tamen, & spectantium, favor incitabant Ioannem. Itaque in arenam descensum est. Judæus innocentiam suam memorat, & conscientiam. Ioannes ictu oculi non amplius uno MARIAM invocat, devocaturus è cælo necessarias vires. Mirum, quantâ ferociâ congressum sit orsus improbus lanista! ictus ictibus ingeminat, quos Ioannes vix parvulâ excipit, vix clavâ excutit, vix suffecturâ corporis declinatione vitat. Sed uti per viam vires, ita ipsa in pugna incrementum accipit animus Mariani monomachi. Reponit itaque paria Ioannes, & nō bene cautum semel atq; iterum malè mulctat, & periculi admonet. Felix ictus, qui in caput Iudæi plenâ clavâ incubuit, & reum in terram afflixit, jam sponte

sponte confitentem, quod toto biennio nemo credidisset. Tunc indicto certaminis fine à Comite, Iudex lata ibidē sententiā, carnifici traditus, & de pedibus in furca inter duos molossos suspensus est, ac miserè laceratus, supposito igne in cineres redactus est. Postquam pro Virginis honore Montibus depugnatum est; vix fuit, qui non confestim accurreret Camberonam, prodigiosam visurus Imaginem. Hæc, veniā ab ijs, quorum intererat, petita, & perlubenter concessā, publico exposita, hodiēque miraculis celebrior, quàm antè, colitur.

Miracula huius imaginis descripsit Robertus Hautporti⁹ Toparcha in Gransars. Georgius Calvenerius SS. Th. D. Duacensis in suo Calend. Mariano. Et recenter Philippus Brassarius in lib. quem edidit de originibus Cœnobiorum Hannonie l. 1. c. 3. Fridericus Fornerus suffrag. Bamberg. in sua Palma Triumphali.

XX.

IMAGO B. V. MIRACVLOS A
BVSCODVGENSIS.

BELIS superiore seculo afflictâ Flan-
driâ miles Hispanus, dum ante
contubernium, Emplensi templo adsi-
tum, terram ad munimentum fodit,
primos inter ictus tabulam eruit. Vi-
det in ea coloribus expressam Dei Ge-
nitricis effigiem. Accurritur à contu-
bernalibus velut ad effossum thesau-
rum: advolat tribunus ipse Bobadilla:
Mirantur operis novitatem, & colores,
quasi hodie inductos, non sine DEI nu-
mine, id loci, id temporis. Nimirum,
militibus Hispanis, aut ab aquis, aut à
fame, aut ab hoste imminebat tunc exi-
tium, & instabat Marianæ Conceptio-
nis pervigilium. Igitur supplicantium
ritu illam in templum inferunt, atque
inter legionum signa collocatam proni
omnes adorant; precanturque Exer-
cituum



citum Matrem, uti volens milites
 suos ex ijs elementorum, hostiúmque
 insidijs ipsa, quæ posset, eriperet, bene-
 re se jam vicinæ liberationis pignus
 eius imaginem, tam non opinantibus,
 quàm egentibus clementer oblatam:
 pergeret, absolueretque beneficium
 suum, spondere interim se, quos in li-
 bertatem asseruisset, eius se nomini
 mancipatos in perpetuum fore. Nec
 frustra imploratum auxilium, nec in-
 immemores collatum esse ipsi com-
 monstrârunt. Nam paucis post acce-
 ptum beneficium diebus, præeunte
 Bobadilla, confata horum societas est,
 qui se milites Virginis immaculatæ
 Conceptæ appellari voluere, ac susce-
 pto per Belgium, translatoque postea
 in Hispaniam exemplo cultam fuisse
 DEI Matrem à præsidiarijs militibus
 per huiusmodi Sodalitates à prima
 Bommeliana derivatas, scribit, qui
 tunc in Belgio militabat Alphonfus
 Vasquius:

Vasquius: à quo in sua legione institutam in Hispania unam ex his ob memoriam liberati apud Bommeliã, Hispani exercitus ipse commemorat. Et verò digna res fuit, quam non sine aliqua gratæ in Virginem significatione pietatis audirent posteri. Nam cum maximè obfessos fames consumeret, simul hyemis rigor extingueret, simul eluvionum incrementa submergeret: cum in omnium desperatione rerum, una DEI Matris spes miseros non desereret, cæterùm ubique mors atque hostis occurreret; nocte, quæ sacrum Virginei Conceptus antecessit diem, ventus adeò vehemens, ac præter modum frigidus invaluit, ut aquas, quæ per campos altè stagnaverant, partim dispulerit, partim glacie firmissimè adstrinxerit. Unde advecti ad trahendū, ut agebant, rete, quo inclusos Hispanos fama vulgaverat, metu, ne gelu comprehensis, implexisque navigijs ipsi in-

ter

ter eos campos hærere velut obsessi co-
gerentur ; flexo in Mosam cursu peri-
culo sese imminēti subtraxerunt, ma-
gno utique dolore Hollachij sine fine
lamentantis, ereptam sibi è manibus
victoriam, nullâ Hispanorum virtute,
sed solo DEI, nimis eo quidem die,
se Hispanum professi, beneficio. Hi-
spani, solutâ glacie, postero statim,
die magno cimbarum numero cum
Virginis tutelaris effigiē Buscoducum
deportati sunt. Famian. Strada in hist.
Belg. p. 1.

*Civitas Hispalensis verba hæc: B. VIR-
GO MARIA SINE PECCATO CONCEPTA:
meris gemmis in tapete descripsit. Ste-
nit opus octoginta millibus ducatorum,
æstimatione peritorum. P. Christoph.
Wratislaw. in Litanijs Laur. pag. 38.*

*Quo die Cursor regius Bultam, Pauli
V. (in favorem Concept. immaculata)
Madridum attulit, imò, eo momento,
I que*

quo advenit, lampas mediâ plateâ, clarâ
die, (qua non nisi noctibus accendeba-
tur) seipsam accendit ; ipsam etiam
aquam, consumpto oleo, arsisse, ut alenum,
affirmat P. Eusebius Norimbergina
de miraculosis Naturis in
Europa. pag. 112.



GERMA-





GERMANIA.

XXI.

IMAGO B.V. MIRACVLOSA
OETINGANA.

EST in Bavariæ pago, quem Oettingam veterem, ad vrbs vicinæ novæ Oettingæ discrimen, appellant, sacellum Deiparæ sacrum, & non Germaniâ solum universâ, sed exteris quoque regnis ac nationibus percelebre. Id olim Planetis dicatum fuisse, res vulgo est indubiæ fidei, à majoribus famæ perpetuitate ad nos usque profecta. Argumento sunt æquata cū planetarum numero cellæ arcuata, modici intervalli, ducti in orbem sacelli ambitum dividentes. Accedit antiquæ Germaniæ superstitione planetarum cultui impensè dedita. Solem & Lunam memorat Jul. Cæsar; Martem & Mercurium, Tacitus, Mars illis Hesus, &

Ares; Mercurius, Woda, Wonda, Tentates appellabatur. Jovem adoratum apud Boios, constat ex S. Bonifacij t. 8. Bibl. SS. PP. cuius & Gad, & Goda erant nomina. Venerem Freiam & Urijam nominabant. Saturnus dignum crudo & crudeli sene nomen Krodo tulit.

In huius sacelli arâ visitur Icon Deiparæ: quæ dextro insidentem brachio filium, lævâ manu præfixo filio sceptrum gerit. Dexteram filij globus implet cæruleus, læva modicè ante Matris humerum attollitur. Vestis rubra est, aureus oram limbus obit. Caput Virginis operit pileus, formâ principibus olim singulari, crucibus in orbem distinctus: reliquum corpus convestit cyclas rubra, aureo limbo finita, palliûmque candicans fibulâ superpectus nexum. Hæc à sculptore, & pictore species: quam dudum piorum liberalitas pallijs auro argentoque rigentibus, variâque torquium, margaritarum,

ritarum, gemmarumque gazâ intexit.
 Silentibus litteris, opinio ab antiquo
 est, per manus hucusq; tradita, D. Ru-
 pertum, Boiorum Apostolum Deo Dei-
 paræque sacellum dicasse, & Patronæ,
 quod hodiè que veneramur, signum
 ibidem statuisse. Quo ista tempore fa-
 cta sint, diversæ scriptorum opinatio-
 nes obscurū faciunt. Ruperti in Boicam
 adventum alijs ad Childebertum pri-
 mum, alijs ad secundum, alijs ad ter-
 tium referentibus, nec solum ad hos,
 sed etiam ad annos horum diversos.
 Itaque ab anno D. XX. usq; ad DCXII.
 nihil certum pronunciarî fas est: quan-
 quam neque citra hos limites, neque
 ultra collocare ad vêtum Ruperti pos-
 simus. Incertum proinde est, quo post
 initam Boiariam anno res Oetinganas
 constituerit. Primum inter innumera
 miraculum recenseri meretur mira-
 Iconis ac sacelli ab interitu vindica-
 tio. Ungari, nondum Christianis ritibus

imbuti, ab anno Christi nongentesimo
 usque ad Ottonis Magni Imperium,
 crebris in Boicam, vicinâsque provin-
 cias incursionibus effusi, magnas cla-
 des & dabant, & accipiebant. Memo-
 rabile inter illos & Ludovicum Ar-
 nulphi F. Boicæ regem in campis Ly-
 catibus sub Augustæ Vindelicæ moenia
 prælium commissum est, ad annum
 CMX, quo jam inclinante in Ludo-
 vicum Victoriâ, Vngari ex acie, simu-
 latâ fugâ, se proripuerunt, Boiôsq; in
 tergo hærentes in insidias opportunè
 locatas pertraxerunt: quibus à tergo
 in improvidos periculi coortis, cum
 simul à fronte primi pugnam ex fuga
 repeterent, circumventi Boij ad inter-
 necionem cæsi sunt, paucis fugæ præ-
 sidio servatis. Quâ partâ Victoriâ Vn-
 gari per Boicam, Sueviam, Franconiâ
 infesta signa circumtulerunt, cunctâq;
 ferro ac flammâ, nullo sacri profaniq;
 discrimine pervastârunt. Hac bellorû
 Vnga-

Vngaricorum tempestate Oetingam, urbem, spatijs ingentibus, vetustatis famâ circumscriptam, cum Regiâ & PP. Benedictinorû coenobio, everfam, deustâmque, suadet ab antiquo ad nos profecta opinio. Annus excidij in incerto est: vero tamen similis, anno seculi huius decimo post Ludovicum, in campis Lycatibus prælio fufum, jam obtritis Boicæ vicinarûmq; gentium viribus, incendio communi Oetingam conflagrâsse. Tantæ autem sacrorum profanorûmq; locorum stragi ereptum est sanctissimum Deiparæ Oetinganæ sacellû, cum sacra Icone, supremo Numine sævam furoris Vngari procellâ ad hâc Christianæ pietatis arcem frangente, quo & Matris honor eximio affirmaretur miraculo, & insigne veritatis in Boicam illatæ monumentum posterorum religioni servaretur. Cæterorum miraculorum fama demum ab anno Christi MCDLXXXIX longè

latéque per Europam increbuit : ultra tamen eum annum, nihil eo de genere comperti habemus. Exinde tamen in litteras missa, & in vulgus enunciata omne genus mortales, salutem, sive animis, sive corporibus quærentes ab omni parte ad hunc beneficiorû fontem evocârunt. Hinc insignis gaza, quotidianis auctibus locupletior, coalluit, Imperatorum, Regum, Ordinis utriusque Principum, Magnatum aliorum, vrbium, populorum, munificentia admirationi sunt, præ alijs quædam antiqua signa, materiæ nobilitate, operisque raritate præcellentia: nimirum ex auro omnia, gemmisque & veteri celaturâ, ad eximiam pulchritudinem expolita. Quorum ut & novorum cimeliorum cognitionem, qui pleniorum requirit, à loci historiâ petat, necesse est. Nam solæ nobis Icones sacræ miris eventibus illustres ad scribendum sunt propositæ,

R. P.

R. P. *Jacob. Irsing in hist. Oetingana.*
Ser. Electoris Maximiliani cor ad
dexteram altaris in terra sepultum est
sub marmore nigro. Cor item He-
rois Tillij ibidem con-
ditum.



XXII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
CELLENSIS.

Hic Austriacorum Archiducum & Imperatorum à pluribus jam sæculis sacrarium fuit, & ultimum in rebus afflictis asylum: originem, uti accepi, referam.

Locus tantâ hodie celebris religione, olim ab incultis hominibus habitabatur. Otto Abbas S. Lamberti à foundationis exordio sextus, oviû suarum non immemor, videns tamen longiùs abesse locum à cænobio, quàm ut à Præsule possit indies inspicere, ac ex voto regi, virum è Conventu suo religiosum, & probum ei valli statuit præficere: qui ut Vicarius finibus illis præesset, ac incultos simul silvicolarum animos divinarum rerum notitiâ imbueret. Et hoc anno 1157. ab Adriano IV, summo Pontifice 21. Decemb. die

D. Tho-



D. Thomæ Apostoli impetravit. Quapropter habito singulari inter suos delectu, unum huic muneri designat, eumque ad solitariæ vitæ incommoda simul, & merita hortatur. Habuit verò religiosus iste in cella sua statuam omni thesauro chariorem ex Tiliæ ligno sculptam, vix cubito altiorem. Deipara JESVLM suum brachio sustentat, cui iste roseum offert pomum. Hanc, inquam, statuam, vallis huius novus rector, & incola secum asportavit.

Habet vallis hæc planitiem angustam quidē, & anfractuosam; ad plura milliaria germanica porrectam, undique silvescentibus cinctam montibus, alicubi etiam herbiferis alpibus, quæ tamen in abrupta præcipitia dehiscunt, & magnâ anni parte nivibus onerantur. Et quia cæli favor in hanc vallem magnus non est, ideo terra quoque dura est: etenim præter ferrū,

quo abundat, vix aliud emolumentum promittit.

Hic in colle quopiam amæno, undique præaltis montibus cincto, cellam sibi novus incola struxit (unde hodiè que vallis tota nomen olim acceptum retinet) addidit & aram colendæ statuae sic accommodatam, ut aliam ab homine, vel ipsa Virgo in tanta rerum egestate non exigeret. Interea novitate videndi exciti è silvis, non mitiores rupibus suis, incolæ fidei Christianæ præcepta mirari primùm, & stupere, tum etiam, quia ruditatem nulla plerumque malitia contaminaverat, non adeò difficulter fidem veram amplecti, dum demum è cella hac cælum, & è silvestri valle amænissimum Deiparæ hortum accolarum pietas fecit.

Quanti porrò Cellam hanc Deiparæ fecerit, nō longè post maximo demonstravit incremento. Sub annum à partiente Virgine 1284. Henricum Marchionem

chionem Moravię morbus, nescio quis, ita graviter afflixit, ut omnium membrorum usu destitutus, etiam medicorum è remotis locis advolantium curam falleret. Acerbius ipso morbo fuit malum, quòd & conjugem Agnetem paralysis lecto affixerit, pari pertinaciâ omnem artem medētium eludens. Hic, ut fit, è cælo petita sunt remedia, quæ negarat terra. Indictæ passim in templis publicæ privatæque preces. Henricus ipse unâ cum Agnete Deiparam & S. Wenceslaum, Provinciæ Patronum, in vota vocavit. Cùm ecce illi per quietem vir adstat, quem forma, quia augustior humanâ, cælestem esse prodidit. Hic brevibus verbis sanitatem Marchioni, conjugique, non tam promittit, quàm largitur. Cæterum vallem, de qua loquimur, non obscuris indicijs designat, jubetque, & religiosi cellam, & in cella Deiparæ statuam inquirere: coram illa, inquit,

statua Deiparæ gratias recuperatæ va-
 letudinis, cuius munere eam accepisti,
 age. His dictis, & cælestis videri desijt,
 & somnum quoque lætitia, ut fit, ab-
 rupit. At verò, ubi se sanum, salvúm-
 que Comes vidit, & nō disparia intel-
 lexit de conjuge, neminem suorum,
 dubitare passus est, tanti boni nuncium
 fuisse D. Wenceslaum, ipsam verò
 sospitatricem fuisse Deiparam. Con-
 festim igitur itineri se accingit Comes,
 non sine subditorum turbâ, quos Pa-
 troni inopinata sanitas sponte excive-
 rat ad tantæ felicitatis scaturiginem,
 investigandam. Aberratum ab illis se-
 mel à via est, quos tamē inusitatæ Ma-
 jestatis peregrinus repentè obvius re-
 duxit, cuius facti memoria hodiéque
 extat marmoris incisa, & portæ templi
 superimposita. Demum post superata
 montium juga, Cella se in conspectum
 dedit. Hic enim verò dici non potest,
 quãtâ omnes & præ omnibus Illustris-

simi

simi conjuges lætitiâ perfusi sint.

Peracta gratiarum actio est coram sanctissima statua, non sine lachrymis, quas inassueti gaudij novitas elicuit. Tum etiam cogitatum à Marchione est de fabrica statuæ struēda, quæ ignē non timeret: hætenus enim in ædicula non nisi lignēâ coli Virgo sustinuit. Structum itaq; à fundamentis est, atq; è solido lapide templum, in quo post vulgatum per omnem Moraviam, Bohemiam, Austriam, Carinthiam, Styriam, Croatiam miraculum, coepit coli statua Virginis celebrius, quia & Virgo crebrius suorum votis annuit.

Majus incrementum accepit hæc statua anno 1363. quo Barbarorum immensæ copię Hungariam universam vastabant, & præ alijs ipsum regem Ludovicum petebant, tantâ celeritate, ut cogendo justo exercitui otium non esset, quanquam tumultuario delectu, ubi viginti millia in armis steterè,

stetere, in conspectum hostis se rex dedit, & verò etiam pedem sine mora retulit, cum se tãto numero imparem deprehendit. Jãmque de fuga sub initium noctis instituendã cum rege etiã duces agitavere consilia; sed Rex Patronæ Cellensis memor, nihil non magnum spirans, eius se tutelæ ac patrocinio cum suis commendat affectu, qui ipsum periculum æquaret. Interea suavi opprimitur somno, in quo visa Deipara addit animum, pugnam suadet, certumque reddit de victoriã: neque dubitare permisit Deiparæ tabella, quam rex post excussum somnum, impositam pectori invenit, licet eam sub somni principium in arula collocatam reliquisset. Non minùs hic Virginis favor cum ducibus animavit milites: mox enim ad arma conclamatum est, & ingentibus animis præeunte S. Icone itum in hostem, atque intra paucas horas etiam debellatum.

Obten-

Obtentâ victoriâ totus, ut erat, exercitus Cellas ductus, gratias acturus: pro victoria. Ibi rex auream coronam, thecâmq; Sanctorum Iypsanis plenam, quam è collo gestaverat, & unâ etiam Deiparâ, de qua dixi, iconem dono dedit, addidit præter gladium, & calcaria etiam paludamêtum: quæ omnia hodiedum peregrini, quotquot volunt, vident. Atque, ut ipsum quoq; altare haberet victoriæ quodpiam, mnemosynon, submisit calicem aureû, cæterâque summi pretij ornamenta. Denique ipsum templum tanto peregrinorum numero angustum, secto è lapide fecit augustius, & in eam, quæ hodie est, amplitudinem erexit.

Credi non potest, quantum fiducia Domus Austriaca in Virgine Cellensi habentis posuerit, quanta, quâmq; grandia in tempore experta sit auxilia. Hinc mirum non est, Ferdinandum III. nuper
caelo,

calo, ut speramus, receptum, Immaculatae Virginis Conceptioni defendenda, publico, nec visitato ritu, Sacramento se obstrinxisse. Viëna in præcipuo foro eximia molis columnam, ad imitationem Monacensis, quam in Bavaria vidit, erigi Deipara curavit, statuamque imponi. Sed, ne in re nova quidquam statueretur, quod ætatem non ferret, placuit coactis in consilium Austria ordinibus, Provincia, ac urbis senatu, religiosorum Superioribus, Episcopo & Clero, ea, qua publicum contingerent, & non nisi conspirantibus capitibus agrè perennarent, in deliberationis argumentum proponi. Ea verò erant: venisse sibi in mentem, diu amatam, & privato semper honore cultam Immaculatam Virginis Conceptionem, in publicam etiam venerationem proponere. Hanc in rem erectam à se columnam, qua Virginis statuam sustineret, quam etiam solenni ritu ab Episcopo velit dedicatam. Velint proinde, jubent.

beantque, diem Decembris Octavam
Immacolata Conceptioni sacram, non
solum festo ritu à statibus, ac universo
populo celebrari, quòd jam pridem glo-
riosissima memoria parès Ferdināus II.
decrevisset; sed pridiano etiam jejuni-
o coli, ac omnium voto Austria Patronā
dici. Neque difficile fuit impetrare ab ijs
assensum, quibus exemplum Principis
est imperium. Proni ierunt omnes in
sententiam, in quam pravit Imperator.
Dicitur ergo Dedicationi dies decima-
octava Maij anno 1647. qui, ubi illuxit,
universam prope civitatem ad pietatis
obsequia excitavit. Convenerant sub ho-
ram octavam matutinam, Caesaris non
tam imperio, quàm exemplo provocati
Serenissimi Archiduces Filij, Ferdinan-
dus IV. tunc Bohemia, ac mense post Un-
garia Rex solennibus comitijs inaugura-
tus (qui non multò post, inter totius Im-
perij applausus, Romanorum Rex Ratis-
bona coronatus, deniq; innocentiam suam
calo

celo inferens, toti Imperio luctum intulit) Serenissima Maria Anna nunc Regina Hispaniarum; Sedis Apostolice, Catholici Regis, ac Reip. Venetae Legati, Aula Casarea, ac regia, Reginaq; Gynecaeum, & omnis summi mediq; nominis nobilitas, religiosi Ordines, omnis hominum conditio, ordo, status, & sexus, ad sacras edes RR. PP. Discalceatorum S. Augustini, Aula Casarea continentes; quas cum confluentium multitudo fecisset angustiores, effusus in plateas populus innumerus, vias ipsas & fora ardebat, gaudebatque, vel sic in pietatis partem venire. Exinde ergo per intratas equali ponte vias, non minus modesta, & ad pietatem composito, quam Augustâ Majestate reverendo ordine, processum est ad templum RR. PP. Societatis IESV Professorum, in summo foro situm: ubi, ad quietem composito subeantium strepitu, R. P. Iohannes Gaus è Societate IESV SS. Theologia D. & sacra Casarea Maje-

Majestatis confessorium, ad stipatissimam concionem eâ facundia ubertate de laudibus sine macula Conceptæ Virginis præsentia, eius in rebus calamitosissimis patrocinio dixit, quam vehemens animorû motus, ac certa omnino in auditorum pectoribus impetranda per eiusdem auxilium tranquillitatis spes cõsequeretur. Dictionem excepit sacra ad summam aram Liturgia, faciente ad Casareos symphonicorum choros Illustrissimo ac Reverendissimo Principe Philippo Fridrico, Episcopo Viennensi. Iamque ad eam partem deductum erat sacrificium, quo pacis osculum præsentis Principi per Subdiaconom deferri consuevit; cùm Augustissimus ipse Imperator, dissimulata Majestate, toto oris corporisque habitu ad pietatem aquè, ac demissionem composito, in publicum egressus ad cancellos summa ara, ad quam solennis pompa agebatur, constitit, & in genua provolutus mansit, donec sacra hostia à sacrificante

CANTE

cave Antistite absumeretur. Tunc verò posito gladio in manus Illustrissimi Comitis Ioannis Rudolphi à Puechbarn, intimi sui Consiliarij, ac supremi Camera-rii, intra ipsos cancellos progressus, obvium habuit cum Clero conscientia sua arbitrum R. P. Ioannem Gans, qui impostam Evāgeliorum libro voti formulam tenebat. Immaculans autem Pontifex ad prostratum Casarem conversus latentem in Eucharistia DEVM, cui votum ediceretur, proponebat. Tunc voce, quæ à circumstante populo facile exaudiretur, votum auspicatus est Casar, in hæc verba.

Omnipotens sempiternæ DEVS, per quem Reges regnant, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum: Ego Ferdinandus coram divina tua Majestate humiliter prostratus, meo, meorumque successorum & inclita huius Provincia Austria nomine, Immaculatam Filij tui Matrem, semper Virginem MARIAM, hodie in peculia-

REM

rem Dominam, & Patronam huius Archiducatus invoco, & assumo. Insuper voveo, ac promitto, eiusdem Immaculate Conceptionis festum, quod cadit in diem octavam Decembris, in hac Provincia etiam jejuniis, eiusdem pervigilio celebrandum. Te deprecor, supreme celi terrarumq; Imperator, qui, quod Matri tuae impenditur, tibi impensum reputas, Votum hoc meum, quod suggerere clementer dignatus es, benigno favore prosequere; atque ad protegendum me, domum meam, populosque mihi subiectos, dexteram tuam Majestatis extende. Amen.

Die 18. Maij anno 1647. in Ecclesia domus professa Societatis JESU, ante aram summam in manus Principis & Episcopi Viennensis Philippi Friderici.

Exactum jam erat sacrificium, sed necdum pietatis officia finita; placuit enim Augusto post adoratum DEVM, secunda religionis obsequia in eius absque macula Conceptam Matrem conferre.

Assum-

Affumptâ ergo in pietatis consortium, utraq̃ue Serenissimâ prole, Ungaria, Bohemiaq̃, rege Ferdinando, ac Hispaniarum regis Sponsâ Mariâ Annâ, comitante Episcopo, & Clero universo, de angustiis Ecclesie parietibus in fori patulum ad erectum sine maculâ Concepta Virginis tropœum accedit Imperator. Effunduntur simul Religiosi Ordines omnes, populique multitudo conferta. Accedit visinior statua sacrorum Pontifex, & conceptis eandem verbis, ac solito ritu DEI, Immaculatâq̃ Virginis Matris honori consecrat, dedicatque. Insecutus est symphonicorum omnium, è tota urbe collectorum, & in plures, quâ vecum, quâ instrumentorum muscorum, ac etiam tubarum militarium, ac tympanorum choros divisorum, plausus: qui, cum Laurentianam elogiorum seriem Augustissima Matri cantarent, singularem in populo pietatis ardorem, certâque presidij fiducia excitarunt, Ascenderat jam non

tam suo, quàm pietatis calore fervidior dies in meridianam stationem, cùm dimissâ matutinâ. Imperatoris, vespertinam cœpit Imperatrix Eleonora solennitatem meditari. Iussit enim verò post solis occasum ita forum omne illustrari, ut nulla circum pateret fenestra, qua non geminato luminari illustrata Augustissima familia insignia illustraret. Cancellos deinde, qui Colossum ambiunt, totidem resplendere lampadibus, quot ipsi columellis assurgunt: ac demum pensilibus lucernis in vasta magnitudinis coronam, aut plenam iridem eleganter duobus statuam ipsam redimiri. Valuit ea quidem res ad amanum oculorum spectaculum, ad quod plebs omnis, omnisque civitas effundebatur; sed vel maxime ad incendenda nova pietatis officia, ad que merito Augustissimus ipse Ferdinandus III. Augusta Eleonora, Rex Bohemiae Ferdinandus, ac Hispaniarum Sponsa Regina Maria Anna, obductis jam

calo tenebris, Majestatis sua lucem conferrent. Tenuit ea pompa in alteram noctis horam, neq; prius spectatorem dimisit, quàm post imploratum melico concentu per augustissimos Virginis titulos celi praesidium, impertita, Pontificis manu, ac voce, benedictio populum signasset. Sic terminatus est dies ille, perpetuà apud posteros luce radiaturus; quo Augustissimus Ferdinandus Immaculatè Concepta Virginis imaginem populorum Religioni proposuit, ipse secutura posteritati pietatis exemplar proponendus. At verò, ne uno die nata, denasceretur sequentibus veneratio; placuit Sacratissimo Cesari de pietatis consulto imperare, ut occidentis hebdomada vesper, hoc est, Sabbathi crepusculum, decantato Lauretanae Virginis encomiorum syllabo, & dictis per sacerdotem de B. Virginis Immaculate Conceptione, pro Imperatore, & pro pace, orationibus, celebretur. Atque, ut jussum promoveret liberalitate, statuit a-


terna

terna fundatione eam pecunia summam, qua in splendidum musices apparatus sufficere possit. Hoc ita in perpetuum ritè sanctèque stabilito, sub vespertinum sabbati crepusculum, post datum diuturniorem campani aris pulsus, magna semper plebis, civium, media summaq; nobilitatis multitudo in forum congregatur, & dum Lauretans saluatur Immaculata Virgo elogjis, in genua provoluta, suas publica q; rei necessitates deprecatur. Accedunt & pervigilia, festiq; omnes Augustissima Virginis dies, quibus sanctius finiendis eadem semper ce- lebritate convenitur. Auspicium his datum est ipso Visentis Elisabetham Virginis festo die, quo Augusta Eleonora pio voto ac desiderio obsecuta omnes urbis Sodalitates partito cultu sibi octiduum totum unà cum pervigilio piè obeundum divisère. Ipsa Augusta totius celebritatis principium pridie festi presens honoravit, quando sex Congregationes in dō-

mo Professa Patrum Societatis JESU instituta, quae ex proceribus Austriacis, civibus Viennensibus, opificibus Germanis, Tyronibus Mechanicarum artium, ac Italiae coaluerunt, diem septimam consueta caerimonia Virgini solennē fecere. Placet subjungere orationem honorandae Immaculae Conceptioni compositam, quam Hipp. Marraccium in Pontificibus Marianis cap. 72. Sixto IV. adscribit, cuiusque, ab ijs undecim millia annorum Indulg. obtineri, qui eam in gratia constituti piè recitant, ex eiusdem Sixti IV. concessione. Sic autem habet.

Ave sanctissima MARIA Mater DEI,
Regina caeli, Porta paradisi, Domina
mundi: tu es singularis Virgo purissima:
TU CONCEPTA SINE PECCATO ORIGINALI,
& ideo Immaculatissima: tu sine macula
concepisti JESUM Salvatorem: Tu fui-
sti verissimè ante partum, in partu, &
post partum inviolata, & illibata. Fac,
pro tuis sanctis precibus purè, piè, &
sanctè

*Sanctè vivere, & ora pro nobis IESVM
Filium tuum dilectum, & post mortem
me suscipe: ab omnibus malis mentis,
& corporis libera me, & alios fac me
liberare, opera misericordia acquirere,
& in gloria Paradisi in aeternum
tecum gaudere. A-
men.*



XXIII.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
SPIRENSIS.

AD arma, lector, ad arma: etenim arma, virúmque tibi sisto, qui totam cum Imperio Romano Germaniam ad arma cōmovit, MARLE quoque non ingrata. Virum affero secundum cor MARLE, uti David fuit secundum cor DEI: virum, qui hinc lactatus ab vbere MARLE, illinc passus à vulnere IESV, constitutus in medio, quò se verteret, nesciebat. Si illum sine MARIA, aut sine IESV, & armis eius pictum sculptúmve videris, vel ipsos Apelles & Praxiteles reprehende. Bernardus is est, quem penna melleum, Deipara lacteum, IESVS sanguineum, virtus sanctum fecit; quem Guilielmi tremuerunt, Pseudopapæ horruerunt, Romanorum, Gallorúmque Reges consiliarium habuerunt, Pontifices legatum, omnes Patrem.

In-



Incumbebat Ecclesiæ, ut credebatur, sæculo abhinc quinto Turcicæ potentia gravis moles, Christianis metueda, non quòd major, sed quòd conjuncta, atque una esset. Parabantur ultra Xerxis diligentiam copia, quibus terra; classes, quibus maria sternerentur: nec deerant animi, quibus totam Christi fidem cum fidelibus devorerent. Labor non gravis victoriam promittebat certam, nec amplius unam poscebat, quæ Mahometi daret urbem, ac cum vrbe orbis vniversi cum pace dominatum.

Atque ut hæc non sine bonorum extrema metuétium terrore pararentur, tanto tamen cum strepitu facta non sunt, qui régés, principésq; Christianos è somno excitatos percelleret. Solus inter oves vigilabat summus Pastor Innocentius II. ac vigilias super gregem suum custodiebat. Is periculi propinquitate commotus, q-

mne studium, operámque contulit, ad barbari hostis conatus frangēdos, populique Christiani incolumitatem è supremo discrimine vindicandam.

Et commodum tunc Spirensi in urbe celebrabantur Germaniæ comitia, quibus ipse Rex, Romaniq; Imperij Electores, aliique magno numero Principes intererant. Quærebatur à Pontifice vir unus, qui in tanto cōventu rem Christianæ rei ageret, ac unus unicúsque repertus ei est Bernardus, tanto muneri sufficiens. Ornatum itaque Nuncij Apostolici titulo, oneratúmque gravibus mandatis Spiram mittit. Bernardus nihil non magnum spirans & sanctum, compendioso itinere ad locum ubi venit, à numerosissimo Clero ad urbis usque portas vnà cum civibus obvjo, inter festos campanarum clangores, longâ pompâ, per stipatum ex omni Germania populum, ad summum magnificentis-

simi

fimi operis templum deducitur. Ingressus templum Bernardus nil antiquius habuit, quàm ut Virginem Dei-param, cuius statuam bene grandem jam ab ipsa usque porta prospiciebat, salutaret, solenni illo Hermannii contracti hymno: Salve Regina. Vix hymnum absolverat Sanctus, cum erectus in pedes per longum Basilicæ fornicem progreditur, atq; ter in genua, distinctis aptè intervallis, provolutus addit verba Canticò nova: O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA, audiente ingenti populi multitudine, & sanctitatem hominis, ipsâ majorem famâ, demirante. Sub hæc vox è statua Virginis audita est, quæ salutantem Bernardum resalutaret in hæc verba: Salve Bernarde. Ut novum nõ esset Bernardo, audire Virginem sibi loquentem, novum tamen erat, audire tot, qui tunc aderant, testibus omni exceptione majoribus, qui & certa inde

K 5 sancti-

sanctitatis indicia promebant, & negotijs, quæ vir ad commune bonum tractaturus advenerat, finem, quem ipse optaret, prospiciebant. Et respondit eventus. Etenim cum Regi Romanorum, cæterisque Imperij Principibus cum fide narrata sunt, quæ contigerunt; non difficulter paci, quam suadebat Bernardus, dedere manus: sed & ipsi Bernardo, qui junctos in ipsam usque Turciam vel ducturus, vel missurus erat: etenim cruce ab illo acceptâ, nemo non fuit, qui non in Turcas iret, vel certè ære suo alium sibi sufficeret.

Tantam rem ne ventura aboleret vetustas, pluribus modis caverunt majores: nam & verba hæc cantico addita sunt, hodièq; per Ecclesiam permanent; & ipsis in vestigijs, ubi dicta à sancto sunt, metallo in marmore plastes scripsit, & debitus statuæ cultus datus, quo in hæc usque tempora, nullo

nullo non die, horâ post meridiem quartâ, solenne illud: *Salve Regina*: cantatur, populi Catholici pictate in hanc usque diem non imminutâ. Certe discipuli Gymnasij Societatis IESU, quotquot sunt, nullam tam gravem causam habent, quæ abesse permittat, & absentem justè excuset. Imperator præ alijs, Monasteriû Bernardo quàm primùm condidit. Imperatorem secuti Principes, Comitèsque certatim paria promisere, ac præstitere. Ita *MARIE* cultus per Bernardum, eiúsque alumnos in Germania incrementum accepit. Ipse Clerus metro poëtico historiam officio divino inseruit, ut res posteris religiosa permaneret.

Tantum potest in perpetua tempora vox Virginis una. Si tantam voci tuæ virtutem dat DEVS, O *MARIA*, loquere sepiùs, ô clemens, ô pia, ô dulcis *Virgo MARIA!* quia habes, qui audiant, & qui obaudiant.

*Hanc narrationem è M.S. antiquo
Episcoporum Spirensium excerpfit R. P.
Gerardus Hansen Prov. Rhen. Sup. ubi
Episcopus Sigefridus, sub quo hæc conti-
gère, dicitur mortuus anno 1142. 23. Sept:
præsente adhuc in urbe Spirensi S. Ber-
nardo. Verba autem, qua in Ecclesia ca-
nuntur, ut ait auctor M. S. sunt hæc.*

Nardus in Spira spiravit:
Sensit hoc Virginea
Stans Imago, salutavit
Hunc voce fæminea.
O quàm letè tunc gustavit
Cælesti de Vineâ.



1898
R. I.
1898
Sept.
1898
1898



XXIV.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
EREMITANA.

Miraculosissimæ jam tot sæculis
Virginis Eremitanæ primordia
recensere nequeo, quin plurimorum
Sanctorum mentionem faciam, & an-
tiquæ nobilitatis pietatem repetam.

Menradus, Comitis Sulgenfis filius,
quinto ætatis anno Divi Benedicti Cę-
nobio Reichenaviensi sistitur, ubi præ-
ter Abbatem non pauci fuere è prima
nobilitate. Crevit cum ætate etiam,
morum sanctitas & sapientia. nam &
Lectoris officio in Oberpollingēsi mo-
nasterio functus est. Demum deside-
rio vitæ solitariæ, obtentâ facultate,
altissimum montem petijt, & silvam
oppidò opacam viginti sex ipsos an-
nos incoluit. Neq; defuit huic Eliæ sua
Sareptana vidua, quæ in hebdomades
annonam subministraret: quin & vi-

cini Cænobij pia Antistes Sacerdoti, quem jam accurrens populus celebra-
bat, templum suis sumptibus ædifica-
vit, quod angustissimū figurā ut sit,
statua tamen Virginis ad invidiam us-
que magnarum molium celebre fa-
ctum est. Quatuor omnino libri totum
Menradi studium exhauriebant, nec
tamen ambiebat plures. Missale, Ho-
miliæ Sanctorum, Regulæ S. Benedicti,
& Opera Cassiani Monachi, diverso à
nostris temporibus genio.

Vigesimalium sextum annum Eremiti
non novus incola, cælo maturus, inter
Missarum solennia ab Angelo mone-
tur, vitæ finem instare; quam paucas
post horas latrones duo funestissimè
abstulerunt. Etenim è populi tãto con-
cursu congestas ab homine divitias
suspicati, fustibus adoriuntur, extor-
turi vel pecuniam, vel animam. Cùm
verò ille præter mucidi panis frustu-
lum, & è fonte frigidam non haberet,
quod

quod hospitibus apponeret, Iudi se existimantes, impacto capiti palo, in terram hominem affligunt. Unica moriturum, cæteris jam cælo aptatis, premebat cura, ne sine lumine iret ad superos. Itaque rogati à prostrato, & jam moribundo lumen, non inviti è sacello candelas afferunt, quas inter manus latronum divinitus accensas fuisse, ipsi demum fassii sunt. Iamque, ablato in cælum Menrado, supererat, quæ nocentes poena sequeretur. Corvorum hoc officium fuit: qui è Sancti mensâ pluribus annis pasti, nunc respondent vicem, reosque per avia & invia, per oppida & vrbes, in ipsa adeò hospitij mensâ, Tigurinam urbem ingressos, velut patibularios, ferociter, insequuntur; nec obscure sagaciores admonent sceleris occulti. At verò, ubi intellectum est, & corvos esse Menradi, & Menradum vixisse, atque extra sacrarium suum, in sanguine suo inter
ardentes

ardentes candelas jacere prostratum, in carcerem coniecti, statim rem omnem, ut erat, confessi, pœnas dederunt. Etenim de iudicis sententiâ equis per terram ad supplicium tracti, rotâ primùm deartuati fractique, deinde rotæ ipsi innexi, vivi, ut erant, subjecto igne in cineres redacti sunt: quos demum carnifex, ne quid de flagitio superesset, in profluentem abjecit. Tres supra quadraginta annos repertus non est, qui Menrado succederet S. Capellæ incola, ne victima succedanea fieret. Nemoque repertus, qui sine metu locum pietatis causâ accederet, quantumvis non cessarent mirificæ Virginis beneficia. Secundus S. loci incola Benno fuit, è regio Burgundionum sanguine, Episcopus Argentinensis: qui à malevolis excacatus usque ad annû 940. hîc vixit, hodièque ante sacellum sepultus jacet. Secutus hunc Eberhardus Decanus Argentinensis, Bennonis

confan-

consanguineus. Hic, edificato cænobio, S. Conradum Episcopum Constantiensem invitavit, rogavitque, ut tam nobile templum, tandem Ecclesiæ ritu Virgini Deiparæ dedicaret. Annuit ille & Vdalricum Augustanum Præsulem, quem tum habebat hospitem, unâ deductum, tanto Virginis festo interesse voluit: Cùm ecce pridie, quàm institueretur dedicatio, dum Conradus nocte ad preces pro more è lecto se proripit, videt insolito fulgore fenestras cubiculi relucere. Tum non parùm attonitus, ipsum quoque templum, quantum erat, resplendere accensis luminibus advertit. Ingressus itaque sacellum, vidit delapsos cælo Divos peragere, quam ipse postridie peracturus venerat, dedicationem. Ne quid in tanti momenti re abeamus à vero, visum est mihi apponere ea, quæ ipse Conradus in libro de Secretis Secretorum hac de re à se scripta reliquit, in hæc ferè verba.

Anno

Anno à Nato Salvatore 948. Impe-
 rante Ottone, sedente Agapito II. an-
 no decimo tertio Episcopatus Conra-
 di, festo S. Crucis in autumno, fuit ab
 ipso Christo D. nostro, & à suis SS. Ange-
 lis consecrata capella B. V. in Eremo
 in hunc modum. Christus D. noster de-
 scendit de celo casulâ sacerdotali, sive
 purpureâ, sive violaceâ indutus, séque
 ante altare B. V. stitit, ibique sanctissi-
 mum Missæ officium complevit, præ-
 sentibus quatuor Evangelistis, qui ri-
 tu Ecclesiæ mitram imponebant sacro
 capiti, vel amovebant. SS. Angeli, ac-
 census aureis thuribulis, odoribus re-
 plebant templum, non sine suavi so-
 no, qualem Zephyrus solet efficere,
 cum inter arborum folia ludit. Asti-
 tit lateri uni S. Gregorius, tenens ma-
 nu aspergillum, alterum latus tenuit
 S. Petrus, Pedumque pastorale præ se
 tulit. Adstitit quoq; cum S. Augustino
 S. Ambrosius. Ipsa verò Virgo Deipara
 super

super altare inter coruscos, & plus
quàm solares radios cælesti cum Ma-
jestate apparuit. S. Michaël Archange-
lus symphonicorum præfecti, Ange-
lorum nonnulli suffraganeorum Epif-
coporum officio fungebantur. Cantus
is ipse, & omnium cęremonia fuit eam
ad formam, quam ritus Ecclesię in
templorum cathedralium consecra-
tione præscribit. Epistolam cecinit
S. Stephanus, S. Laurentius Evangelium.
Reliquum, quod supererat cantus, fe-
cēre Angeli, non sine præstantissimis in-
strumentis. Quædam verba etiam mu-
târunt. Etenim, cùm ad SANGTVS ven-
tum est, sic auditi sunt verba variare:
*Sanctus DEVS in aula gloriose Virginis
MARIE, Sanctus DEVS in altari S. Crucis,
Sanctus & Immortalis Dominus DEVS
Sabaotb. Pleni sunt celi & terra gloria
tuâ, benediçt⁹ sit Filius MARIE in aternũ,
qui venit in nomine Domini, Osanna in
excelsis.* Nonnulla quoq; mutata sunt,
cùm

cum ad Agnus DEI ventum est. *Agnus DEI miserere omnibus, qui credunt in te, miserere nostri. Agnus DEI miserere defunctorum, qui in te requiescunt. Agnus DEI da pacem vivis & defunctis, qui te benedicunt.* Quoties verò oportebat exitu Ecclesię dicere: DOMINVS VOBISCV. dixit: DEVS SIT VOBISCV, respondentibus Angelis: *Qui sedet in throno Cherubinorum, & videt abyssum inferni.*

Manè orto, omnibus pro templi consecratione ritè compositis, Episcopus Conradus in templo permansit usque ad meridiem dulcissimã præteritorum recordatione suspensus, sperans, alijs modis ea, quæ viderat, ad aliorum notitiam perventura. Elapso pãne meridie, monent primi clericorum, tempus abire, nec tamen populi expectationi satisfactum. Ille, quæ noctu facta essent, quæque vidisset, verissima narratione ingenuè fatetur. Illi pium somnium venerati, instant obtrusis sacris vestibis,

vestibus, coguntque nolentem ad sacras cæremonias peragendas. Vix autem datum sacris est principium, cum vox clara omnium auribus de cælo insonuit: *Frater, cessa consecrare.* &, ut firmius hæreret, ter repetita est. Territi, qui negabant, fidem dedere verbis Conradi, Deumque in miraculis suis laudaverunt. Ex eo tempore Virgo quoque nunquam non antè liberalis, favores cælestes etiam prodigè effudit, etiam ultra spem petentium. Quatuordecim post annis Otto Imperator Romam petijt, ut Leonem VIII. à rebellib. Romanis sede pulsum reponeret. Comitata Imperatorem suum est in tam bona causa Germaniæ non modica pars; quos inter, præternonullos Principes profanos, pleriq; ferè Germaniæ Episcopi. Nominatos reperio Ottonem Moguntinũ, Brunonem Coloniensem, Annonẽ Vormatiensem, Ottoniũ Hildeshemiensem, Ottonem Minden-

sem,

sem, Erchenbaldum Argentinensem, Vdalricum Augustanum, & ipsum Conradum Constantiensem. Is totius miraculi, quod anno 948. contigerat, historiam Pontifici exposuit: qui tot presentibus Ecclesie sacris capitibus sua auctoritate, vulgato diplomate, fidem rei indubiam fecit. Quod historicus ad verbum ponit: quodque à pluribus Pontificibus iterum iterumque confirmatum est. Hinc tanta loco reverentia conciliata est, ut ipsi Imperatores Thesaurarij titulum & officium sibi acceperint. Credi non potest, quam claris hodièque miraculis hoc in loco B. V. triumphet.

Ex libro antiquo Cenobij impresso Germanicè, quem R. P. Bonav. Olgiati Min. obs. curavit in linguam Italicam transferri Mediolani anno 1605.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



XXV.

IMAGO B. V. MIRACVLOSA
ROMANA

PADERBORNÆ.

CHARTAS, codices, & integras bibliothecas, ut fortè hæretici abolerè possint, nequeunt tamen propagatam ab antiquo veritatem, eam præsertim, quam cælites portentis confirmant. Hac fulti originem damus miraculosæ statuæ Paderbornensis, quæ Romana vocatur, & vix medio lapide ab vrbe distat.

Fuit, cum rusticus homo, Christianus ut apparet non malus, auriga tamen non bonus, obvium in platea infantem curru opprimeret imprudens, felici infantis sorte, ut qui præter cæterorum morem, veluti curru vectus, quàm celerrimè cælum ingressus est. Peccatum aurigæ impunitum esse decuit, quia forum non reperit, aut iudicem, à quo decerneretur: quid enim
plecte-

plecteret prætor in homine, in quo dolus non erat, quid Confessarius absolveret, quod commissum non erat. Hoc ipsum auriga doluit, doloris, quem infans sub rota senserat, credo hæres. Cùm itaque à nullo foro, à nullo iudice sceleris pœnam pro more obtineret, quantumvis contra morem flagitaret, sibi ipse prætor factus, pœnam, quâ se plecteret, constituit: & ne pœnitere posset, voto firmavit.

Fuit antiqua è ligno statua Deiparæ, sesquicubitalis non modici ponderis, nullo tunc singulari cultu nobilis. Hæc reus auriga sive pretio, sive prece suam fecit; & ut pœna non abluderet à peccato, ipse jumētum factus, clitellâ usus pro curru, Romam usq; (oppidò multam viam) inter lachrimas & lamenta vexit. Ubique in via, & in vrbe præcipuè sceleris tanti se reum, & accusans, & damnans, propitium sibi Numē conciliabat. Fufis lachrimis cùm dolori

abunde.

abunde litasset, succollans iterum oneri, viam remensus eandem Paderbornam usque revexit. Jámque viam totá felicius, quàm crediderat, emensus, vix medio ab urbe lapide, divino onere pressus, & tantùm non oppressus est, viribus ad examen vocatis, nec ægrum se, nec magnopere fessum ut deprehendit, tollere conatur onus, sed vires oneri deprehendit impares. Periculum fecit iterum iterúmque, dum tandem divino afflatu, homo Cœlitibus plús, quàm ipse sciret, charus, intelligeret, velle statuam id loci domicilium sibi statuere. Retulit rem ad eos, quorum intererat, qui intellecto & itineris & historię cursu, per alios atque alios aurigá, ut putabatur, fortiores statuam movere loco conati sunt, & in urbem reportare, ne rudi rustico fidem præproperè habentes, ipsi haberentur fudes, & nimis quàm velociter creduli in ijs, quæ fidem poscerent tardio-
L diorem.

diorem: sed nihil actum. Intellectâ itaque Virginis voluntate, & miraculo ad populos famâ, ut fit, propagato, non difficulter & pecunijs, & lapidibus comportatis ædes statuæ exstructa stetit, quæ multis pro curru ad cælum esset: nam & miraculis clarescere quàm primùm statua cœpit, & celebrari Virginis misericordia in miseros, donec tandem gens Isaurica Lutheri supervenit, quæ unâ cum statuâ templâ quoque demolita, documentum dedit insanix orcinæ. Repertus tamen est, qui hanc Virginis statuam tanto furori surriperet, eamque in fornice templi S. Ioan. Baptista, unâ cum pluribus alijs jure depositi collocaret: ubi tamdiu incognita latuit, dum templum Societati IESU traderetur. Vbi, cum eam vidisset P. Simon Wiperman (juvat cultoris primi nomen apponere) Minister Collegij año 1614. vermibus exesam, & planè informem;

nom

non perfunctoriè id, quod erat, suspicatus, in leproforum domo, Collegio nostro vicinâ, consilium quaesivit: quod in senibus erat, qui statuam, ut viderant, ipsissimam aiebant esse Romanâ, tot olim miraculis celebrem, quod ab alijs quoque in vrbe senibus consilio adhibitis confirmatum est. Statuario itaque tradita est reparanda, qui soluta basi ligneâ, quæ statuam ferebat, advocatis pro more religiosis testibus, Hypsanothecam invenit operis venustissimâ integerrimam. Inerant diversæ Sanctorum reliquiæ, schedulis nomina, resque concitas prodentibus. Reparatam statuam Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus Theodorus iterum consecravit. Et gratum hoc Virgini fuisse, ipsa testata est: nam consecranti eam Episcopo suavissimè (ut ipse sæpiùs magno animi sensu & gaudio retulit) arrisit. Consecratam iterum celebri pompâ, ad sedem suam

Romanam reportavit, cultumque tantis per ablatum restituit, annua decreta processione. Ita Virgini cultus redijt, ipsi verò loco, Virginis in miseros misericordia.

P. Matthias Franck, à quo huius historia narrationem accepi Paderbornâ, addit in fine; miraculum contigisse olim cum P. Arbanasio Kircher nostro. Scripsi viro olim mihi comprimis familiaris, nunc Vrbi & orbi noto, qui in hac verba mihi respondit Desiderat R: a V: a ex me scire cura miraculosa, quam Divina bonitas per merita B. Virginis circa meam personam operata est olim in Novitiatu, modum & rationem. Injuria merito in DEVM, Matrêmque dici possem, si tanti beneficij magnitudinem aut fateri erubescerem, aut silentio suppresserem. Sciat itaque me duplici (nuncius noctis spacio) infirmitate, eâque incurabili, pforâ & herniâ, calitus curatum

tum esse: atque ex hora non corporis tantum, sed & ingenij vires in me plurimum auctas sensisse, qua ad DEI gloriam Matrisque honorem dicta sufficiant. Quomodo autem id contigerit, eum non sit huius loci & temporis, consultius posthuma vita cōservabitur. Hæc ille.

Finis Libri primi.



INDEX

Imaginum B.V.M. Miraculosarum,
quæ Libro Primo conti-
nentur.

| | | Folio |
|--------------------|-----------------------------------|-----------|
| <i>Italia.</i> | 1. Lauretana. | 1 |
| | 2. S. Maria Major mae. | Ro- 20 |
| <i>Hispania.</i> | 3. De Villa Vitiosa Cor- dubæ. | 33 |
| | 4. Montis Serrati. | 42 |
| | 5. De Fonte Sancto Cor- dubæ. | 65 |
| <i>Regnū Cite.</i> | 6. De Candelaria. | 74 |
| | 7. De Arauco. | 78 |
| | 8. De Ligua. | 82 |
| <i>Gallia.</i> | 9. Aniciensis. | 86 |
| | 10. Carnotensis. | 95 |
| | 11. Ardilliensis Salmurium. | ad 105 |
| | 12. Tabularum Mon- spelij. | 108 |
| <i>Sabaudia</i> | 13. Mianensis. | 115 |
| | L 4 | 14. Ca- |

Index Imaginum B. V.


| | | | |
|------------------|-----|-----------------|-------|
| <i>Belgium.</i> | 14. | Cestrensis | 119 |
| | 15. | Cancelata | Infu- |
| | | lis. | 123 |
| | 18. | Messinensis. | 127 |
| | 17. | Tungrensis. | 137 |
| | 18. | Sichemiensis. | 150 |
| <i>Germania.</i> | 19. | Camberonensis. | 154 |
| | 20. | Buscoducensis. | 162 |
| | 21. | Oetingana. | 167 |
| | 22. | Cellensis. | 174 |
| | 23. | Spirensis. | 194 |
| | 24. | Eremitana. | 201 |
| | 25. | Paderbornensis. | 211. |
| | | | |
| | | | |



L 4 APPRO.

APPROBATIO

R. P. PROVINCIALIS.

 *VM primos duos Libros
Atlantis Mariani de Ima-
ginibus Miraculosis Beatae
Virginis, quos P. Guilielmus Gump-
penberg, Societatis nostra Sacerdos
conscripsit, aliquot eiusdem Socie-
tatis Theologi, quibus id commissum
fuerat, legerint, ac in lucem edi pos-
se iudicaverint: Ego Servilianus
Veihelin Societatis IESV per Supe-
riorem Germaniam Praepositus Pro-
vincialis, factum mihi ab Admodum
R. P. N. Generali Gosvino Nickel
potestate, concedo, ut typis manden-
tur, eiusque rei fide facio, mea manu,
& consueto officij Sigillo. Friburgi
Helvetiorum 25. Iunij anno 1657.*

SERVILIANVS
VEIHELIN.

PRIVI-

PRIVILEGIUM

Imperatoris Ferdinandi

III. Datum anno 1653.



FERDINANDVS III.

Divinâ &c. Cùm Veneranda Societatis IESV

Pater Provincialis Superioris Germania nobis humillimè exposuerit &c. Ideo Privilegium à pramemoratis Augustissimis Cesaribus Divis quondam Rudolpho II. Matthiâ, & Ferdinando II. Dominis Nostris Propatruelibus respectivè ac Genitore sacratissima recordationis, dicta SOCIETATI concessum, clementer confirman-tes ac corroborantes Auctoritate Nostra Casarea, omnibus & singulis Typographis, Calchographis, Bibliopolis, Sculptoribus, atque alijs
L S quam.

PRIVILEGIUM IMPERATORIS

quamcunque librariam negociationem exercentibus, serio vetamus, atque inhibemus, ne quis libros, vel aeri insculptas imagines, ac scripta ab ipsis Patribus hactenus edita, vel imposterum edenda intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque ac Provinciarum Nostrarum Hereditariarum fines, simili vel alio characteris genere, aut formâ, sive in toto, sive in parte recudere, sculperere, vel aliò recudenda, sculpendâve mittere, aut impressa, vel sculptas adducere, vendere, aut distrahere, clam seu palàm ausit, vel præsumat. Si quis autem secus faciendo, Privilegium hoc Nostrum Casareum temerario quadam ausu negligere, transgredi aut violare non fuerit veritus, is

NON

FERDINANDI III.

non solum prædictis Libris & Iconibus, perperam quippe recusis & adductis (quos prænominati Patres, eorumve Mandatarij, ubicunque locorum deprehensos, vel propria auctoritate, vel Magistratus illius ope & auxilio sibi vindicare poterunt) de facto prævandalus, sed viginti insuper margararum auripuri, puri, probi Aërio, sive Fisco Imperiali, fraudis nimirum Vindicti ex uno, ex altero vero semisse sæpe dictis Patribus, eorundemve Mandatarijs, omni spe venia ac remissionis præcisâ, pendendarum mulctam, dare damnas esto. Mandamus ergo omnibus & singulis Nostri, ac Sacræ Rom: Imperij, Regnorumque, ac Ditionum Nostrarum Hereditaria-

217

PRIVILEGIUM IMPERATORIS

rum subditis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis ac fortuna existant, tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus, praesertim verò ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel Superiorum nomine & loco ius dicunt, ac Iustitia administrationem exercent, ne quenquam hoc Privilegium Nostrum Casareum temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur: quin potius contumaces, si quos fortè compererint, praescriptâ pœnâ puniri, aliisque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum, manûs Nostrae Subscriptione, & Sigilli Nostrae Casareae impressione munitarum: quas dedimus.

FERDINANDI III.

*Edictum Ratisbonae Civitate Nostra
Imperiali, die quintâ decimâ No-
vembris, anno Domini millesimo
sexcentesimo quinquagesimo ter-
tio, Regnorum Nostrorum, Romani
decimo octavo, Hungarici vige-
simanono, Boëmici verò vigesimo-
septimo.*

FERDINANDVS.



Ora pro nobis sancta DEI Genitrix
vt digni efficiamur promissio-
nibus Christi



INGOLSTADII,

Typis

GEORGI HENLINI Typogr
Academici.

Anno à partu Virginico.

M. DC. LVII.